

Q. K. 361, 26

X 1880 597

II m  
736

Q. D. O. V.

DISSERTATIO JURIDI

De

CALENDARARIO,

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. HEINRICI *Sindens*

U. J. D. & Prof. Publ.

*Fautoris & Præceptoris sui*

*filiæ cultu æternum*

*prosequendi,*

Ad diem Octobr.

Anni

M. DC. LXXIV.

*In Alma Noricorum Universitate*

Publico Eruditorum Examini

submittit

CHRISTIANUS *Bod* / Olsna Silesius,

Autor & Respondens.

ALTDORFI,

Typis Henrici Meyeri, Univers. Typogr.



12







V I R O

*MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSUL-  
TISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE*

DOMINO

DANIELI GÜTTIGIO

IN Rade/

SERENISS. DUC. WÜRTEMB.

OLSNEUS.

A. CONSILII INTIMIS,

PATRONO SUMMO, PROMOTORI  
STUDIORUM MAXIMO, BENEFACTO-

RI BENIGNISSIMO,

DISSERTATIONEM HANC,

SEQVE TOTUM

DEDICAT

CLIENS HUMILLIMUS

CHRISTIANUS Bock/ Olsn. Siles.

Autor & Respondens.



C



judi  
pus  
eran  
adm  
fest  
eran

Tri  
in a  
feri  
An  
cifo







I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIONIS JURIDICÆ

De

CALENDARIO

Proëmium.



*Um natura intervalla quadam-  
tum peragendorum, tum omittendorum, labo-  
rumq; & quietis vicissitudines postulet, ideoq; in  
Republ. apta temporum ordinatio in tantum est  
necessaria, ut sine illa Respubl. commodè regi ne-  
queat. Non solum enim actiones Civiles & in  
judiciis, & extra ea peragenda, sed & sacra suum requirunt tem-  
pus certum; Hinc apud Romanos prodierunt dies, quorum alii  
erant festi, qui Diis dicati erant, alii profesti, qui hominibus ad  
administrandam rem privatam & publicam concessi erant, pro-  
festi iterum vel fasti, in quibus iudicio experiri licebat, vel nefasti  
erant, in quibus iudicia cessabant omnia. Unde Ovidius in Fastis:*

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,*

*Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

*Tria autem illa verba fuerunt do, dico, addico, quibus Prator  
in dando Iudice pedaneo utebatur. Wesenb. in Com. ad tit. C. de  
feriis num. 3. & seq. Frantzk. ad ff. de fer. n. 9. & 10. Rosin. lib. 4.  
Antiq. Rom. c. 3. per tot. ubi adhuc aliorum dierum scil. inter-  
cisorum, comitialium, comperendinorum ac statorum mentionem  
facit.*



facit. Consimili modo penes Nos dies quidam sunt feriati, quidam non, juxta praeceptum divinum. Ipse namq; Jehova discrimen inter dies operarios & festos Exod. 20. v. 9. & 10. constituit, jussitq; certo tempore, septimo nimirum die sibi cultum praestare, reliquos sex laboribus dedit. Nec sine peccato ac scandalo sanctificationis septimi diei potest intermitti, moralis namq; est, licet ejusdem determinatio sit jurispositivi, ceu DN. PRÆSES in Tract. nuperrimè edito de Juribus Templorum c. 8. à num. 5. usq; ad 12. fusius demonstrat. Ut verè totius anni temporis subditi in Republ. viventes admonerentur, non solum apud Romanos Fasti, in quibus res Rom. Popul. & observationes dierum singulorum continebantur, sed etiam apud Nos Calendaria recepta sunt, de quibus hac Disputatione breviter pro temporis & Academici instituti ratione agendum erit. Faxit DEUS Feliciter!

## CAPUT I.

### De Nominalibus Calendarii.

I.  
Praeem-  
paratio.

**S**Cio multos Nos cujusdam accusaturos esse πολυπραγμοσύνης, quasi ea, quæ limites professionis Juridicæ transcendunt, hac vice tractare falcemq; in alienam messem immittere, & quæ ad Mathematicorum prudentissimam spectant Scholam, ad Cathedram velimus transferre juridicam. Minime fanè. Fateor equidem in temporum observatione Astronomos hucusq; ad utilitatem Reipubl. insignem navasse operam, & motum præprimis siderum ad vivendi usum, it. ad rationem temporis, dierum, mensium ac annorum constituendam, & ad navigationem commodè peragendam similiaque transtulisse. Verùm quia Jura nostra circa hanc quoq; temporum concurrunt observationem, ac Calendarii, etiam in alio significato, frequentissimè mentionem faciunt, Ipsi quoque Romani Calendas partim votivis ac lætis precationibus, partim etiam aliis consecrarunt negotiis, Ideòq; insignis hæc materia disquisitionem promeruit convenientem, quæ misis omnibus ad Mathesin spectantibus principiis, nil nisi Cathedrae



dræ Juridicæ convenientia præ se feret. Ut igitur ad rem propius accedamus, nemini non perspectum erit, Calendarium à Calendis, uti à die diarium dici. Calendaria enim tabulæ dicebantur ab observatione singulorum mensium, uti diaria à singulorum dierum ratione observata. Besoldus in *Thes. pract. sub voc. Calender* Calendarium inde dictum putat, quod in eo singulæ Calendæ fuerint annotatæ, hoc est menses & eorum dies. Hinc quia Calendæ primus dies mensis existunt, in mensis distributione Calendarum appellationi major dierum portio cesit. Martin. in *Lex. Philol. sub Calendario*.

II.  
Unde dicitur  
Calendarium.

Calendæ verò, græcè *Καλάνδαι*, denominationem suam à con- vocatione Populi accipiunt. *Καλεῖν* enim vocare est, quod Latini in Calo, calare, postmodum commutarunt, cujus verbi frequens Veteribus fuit usus, unde nomina Calendæ, Curia Calabra, Comitia calata & c. prodierunt. Vinn. ad §. 1. *Inst. de testam. ordin. n. 1.* Erat autem Calabra curia Romana, ad quam plebi convocatæ pronun- ciabatur numerus dierum à Calendis ad Nonas. Hinc Macrobi. l. 1. *Saturnal. c. 15.* Sacrificio, inquit, à Rege vel minore Pontifice cele- brato, idem Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat. Add. Rosin. lib. 4. *Antiq. Rom. c. 4.* Calata quoque Comitiorum confirmandorum causa convocabatur, non centuriatim, sive per centurias classium, ut Viglius quidem existimat, neque per tribus, sed per curias, idque à Collegio Pon- tificum. Neq; enim calata comitia separata fuerunt, sed cum ex scriptis Veterum, maximè Ciceronis, Livii & Dionysii Halicarnas- sensis appareat, quondam tria Comitiorum fuisse genera, curia- ta sc. centuriata & tributa, præter quæ nulla alia fuerunt, ideòque necesse est, calata, quorum fit mentio in §. 1. *Inst. de test. ord.* unam ex his constituisse speciem, quæ cum non fuerint centuriata, neque etiam tributa, sequitur curiata fuisse, quæ sola primis temporibus, cum in concione testamenta fierent, in urbe habebantur, idque etiam Gell. non obscure indicat lib. 15. *Noct. Att. c. 27.* dam ait: *Iisdem comitiis calatis sacrorum detestationes & testamenta fieri so- lita.*

III.  
Unde Ca-  
lenda.

IV.  
Quid sit  
Curia Ca-  
labra.

V.  
Quid Cala-  
ta Comitiorum.

VI.  
ad quam  
Comitiare-  
ferenda.



VII.  
Tzetzes  
sententia  
de origine  
Calendarum.

*lita*. Vocabantur autem calata, perinde ut Calendæ, à dicto verbo *καλέω* vel *καλώ*, unde Verustas rudis verbum calare deduxit, ut testatur Rosin. *lib. 6. Antiq. Rom. c. 1*, Mirabilem aliàs & planè ridiculam affert Tzetzes Calendarum notationem, quasi Antonini tempore infame magna tres Viri *Calandus*, *Nonnus* & *Idus* è sua domo singuli Popul. Rom. nutriverint per eos dies, qui ipsis in Calendario adscribuntur. Vid. ipsius & Balsamonis, hoc figmentum recipientis, verba apud Meursium citat. à Martinio in *Lex. Philol. dict. loc.*

VIII.  
Quid fuerint  
Calenda.

Erant itaq; Calendæ primi dies mensium nominati ab eo, quod iis diebus calentur ejus mensis Nonæ à Pontificibus, quintanæ, an septimanæ sint futuræ, in Capitolio & quidem in Curia Calabra sic dicta, de qua paulò ante egimus. Melioris illustrationis gratia illud hic adjiciendum videtur, quod Romani singulos menses ex ordinatione Romuli in tres distribuerint partes, sc. in *Calendas*, *Nonas* & *Idus*, ac Calendas dixerint primū cujuscunq; mensis diem. Cur autem primum singulorum mensium diem Calendas vocitarent, causa hæc fuit: Priscis temporibus, antequam fasti in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ lune primum observaret aspectum, visumq; Regi sacrificulo nuuciatet, atq; tum sacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat, & quintanas quidem quinquies dicto verbo calo, septimanas septies repetito vocabulo prædicebat, ideòq; hunc diem, quod ex his qui calarentur, primus esset, Calendas vocarunt. Propterea autem Pontifex minor numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando prodebat, quod post novam lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent confluere in urbem, ut acciperent causas feriarum à Rege sacrorum, atq; scirent, quid eo mense esset faciendum. Hinc Terent. Varr. l. 8. de L. Latin. scribit: Primi dies mensium nominati Calendæ, ab eo quod hisce diebus calentur ejus mensis Nonæ à Pontificibus &c. Consimilia ferè tradit Macrobius. l. 1. Saturnal. c. 15. Hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit Calendas vocari. Ideò autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando prodebat, quod post novam lunam oport-

IX.  
Cur Calen-  
da primum  
mensis dies  
vocentur.



oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in urbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturosq; quid esset eo mense faciendum. Add. Rosin. lib. 4. Antiq. c. 4. His verò Calendis in mensis distributione major dierum cedit portio, Unde procul dubio evenit, quod in jure Calendæ pro toto quoq; accipiantur mense, ut Calendæ primæ, secundæ, tertiæ & quintæ, pro uno duobus, tribus, quinque, à Jctis accipiantur mensibus. Hottoman. in Comm. V. J. lit. C. Confirmat hoc Celsus in l. 59. §. si ita. 6. ff. de hered. inst. ubi verba: *Titius, si intra tertias Calendas navis ex Asia venerit, heres esto*, commodè de tribus explicantur mensibus. Item Ulpian. in l. 1. §. si quis. 3. ff. de verb. oblig. verba sunt sequentia: *Si ita interrogatus: Intra Calendas quintas responderit: Dabo Idibus, non obligatur*, qui de Calendis interrogatus, de Idibus respondet, sicq; diversitas in tempore stipulationem vitiat, quæ interrogationis & responsionis requirit congruentiam, juxta §. 5. Inst. de inutil. stipul. Per Calendas quintas verò intelligi quintum mensem, testatur Gothofred. in not. ad d. l. 1. §. 3. ff. de verb. oblig. Verba, inquit, Alciatus (sc. intra Calendas) *Majores nostri hæc de quinque diebus ante Calendas ejus mensis, de quo ageretur, interpretati sunt: existimantes, opinor, idem esse, promittis intra quintas Calendas, vel quinto Calendas? cui sententia ratio latini sermonis repugnat. Quapropter ea appellatio potius de quinque mensibus est accipienda.* Cato tamen in re rustica primas calendas dicit, pro primo die cujusq; mensis. Qui ante Calendas proximas stipulatur, similis est ei qui Calendis stipulatur l. 13. de verb. oblig. Cæterum Calendis, intra Calendas, ante calendas stipulari, idem esse ac Calendis, non in Calendas stipulari, Alciatus 2. parerg. c. 23. contra Gellium demonstrat. Qui ergo in Calendas promittit, usque ad Calendas, & consequenter etiam ante Calendas promisisse videtur. l. 8. l. 10. de verb. oblig. Aliàs non solum Calendæ Januarii, sed & Juliæ & Martiæ, & quidem posteriores propter solvendas pensiones olim solennes fuerunt. Vultej. ad pr. Inst. de locat. Conduct. num. 57. Circa quas hac vice notandum, primum Romanorum Regem Romulum decimestrem annum instituisse, cujus primus mensis fuit Martius. Quamvis enim Josephus Scaliger. de emendat. Tempor. & Alberic. Gentil. de diversis temp. appellat. aliq; annum

X.  
Quomodo in  
jure acci-  
pantur.

XI.  
Alciati hæc  
de re sen-  
tentia.

XII.  
Romulus  
anni autor  
primus de  
cimestrie.  
Roma.



Romulæum ab initio statim duodecimestrem fuisse asserant & Licinium Marcum ac Fenestellam pro se allegent. Clariora tamen sunt adversa testimonia Junii Grachi, Fulvii, Varronis & Suetonii. Quare de eodem decimestri anno ita cecinit Ovidius lib. 1. Fast.

*Tempora digereret cum Conditor Urbis in anno,  
Constituit menses, quinque bis esse suo.*

XIII.  
*Numa Pompilius auctor  
anni duodecimestris.*

Postquam vero Romulus obierat, Imperii summa ad Numam Pompilium devolvebatur, cujus prima cura fuit correctio Calendarii, quare duos alios adjecit menses, annumque duodecimestrem constituit, ut verè Poeta dicat:

*Unciæque in libra pars est, quæ mensis in anno.*

Primum autem mensem Januarium appellavit à Jano (quo de latissimè agit Rosin. lib. 1. Antiq. c. 3.) ex hac procul dubio ratione, quod sicut Janus Deus est bifrons, qui præterita ac futura videt; ita etiam hic mensis & finem transacti & principium futuri respicit anni. Sed cur ab hoc Romani annum inceperint, cum Plutarcho Rosin. lib. 4. Antiq. Roman. c. 5. has reddit causas: *Vel quod Numa Pompilius pacis studiosus, cives à re bellica ad agriculturam transducere cupiens, Januario principem locum assignaverit, Janoque magnos honores detulerit, ut qui civilis vitæ & terræ colendæ quam belli fuit studiosior. Vel quod Numa ad naturæ potius respiciens ordinem, cum post brumam Sol, progrediendi sine facto revertatur, & ad nos cursum reflectat, optimum judicaverit, idem anni quod solis est, constituere initium.* Quare ob hoc principium maximè celebres fuerunt

XIV:  
*Cur annum  
à Januario  
inceperint  
Romani.*

XV.  
*Negotia  
Rom. Ca-  
lend. Jan,  
peracta.*

Calendæ Januarii. Non solum enim lætis precationibus initium dederunt; Sed & solennes erant strenis dandis & muneribus boni ominis causa mittendis, quod Suetonius in Augusto his verbis indicat: *Item Calend. Januarii strenam in Capitolio etiam absenti mittebant.* Egregiè hoc ipsum illustrat Herodianus, cujus verba, sed latina, ex versione politissima Politiani refert JGtorum Salanorum decus, Noster Strauchius in *dissertat. de vot. oblat. c. 3.* hunc in modum: *Diem (anni ineuntis) Romani festum agunt. Ad Janum vetustissimum Italiae Deum referentes, cujus etiam Saturnum ipsum ab Jove filio pulsum, quum in terram descendisset, fuisse hospitem prædicant, & quod ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiam nunc Romani saturnalia prius, dein verò initium anni more*

*suo*



suo concelebrant. Estq; ejus diei biceps imago, ut à quo incipit & in  
 quem desinit annus. Potissimum Romani invicem se colunt, salutantq;  
 & nomismata alter alteri, ceteraq; omnifariam munera missitant,  
 summiq; Magistratus conspicuam sibi & solennem purpuram induunt.  
 Fuerunt Gentilibus festæ hæ Calendæ, non solum enim à certis  
 superstitiosis sacris inchoarunt. Vid. Martin. Lex. Philol. sub  
 d. l. sed & hocce die sacra peregerunt, teste Rosin. lib. 4. Antiq.  
 Rom. c. 9. Christianis verò festæ non extiterunt, quin potius jejuniis  
 consecrarunt, quod Ambrosius serm. 17. & Concilium Toletanum  
 IV. c. 10. his comprobat verbis: *In temporibus reliquis, id est, Ca-*  
*lendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omninò Al-*  
*leluja non decantabitur, in quibus etiam præter piscem & Solis, sicut in*  
*illis quadraginta diebus, cæteris omnibus abstinetur.* Quiescere ta-  
 men & his lites & fora jubent Imper. Valentinianus, Theodosius  
 & Arcadius Timasio & Promoto Coss. lib. 2. C. Th. de feriis. Porro  
 Calendis Januarii in acta Principis jurabant Romani. In libera qui-  
 dem hoc non obtinuit Republ. sed penes Populum erat, utrum fini-  
 to alicujus Magistratu acta probare vellet vel rescindere; Sed pri-  
 mi Triumviri & jurarunt ipsi, se Julii Cæsaris acta rata habituros, &  
 Populum, ut juraret, adegerunt, Vid. Brisson lib. 8. de formul.  
 Petr. Fab. 1. semestr. in fin. de Magistr. Plin. Panegy. Trajan. ubi  
 formula juramenti habetur. His quoque Calendis qui designati  
 Consules erant, Consulatum inibant & frequentia Populi comitati  
 in Capitolium ascendebant, ut præter veterum Historicorum innu-  
 mera loca testatur Ovid. & cum eo Rosin. lib. 4. Antiq. Rom. c. 5.  
 Denique hisce Calendis omne genus operis in sua quisque  
 arte inchoabat ac instaurabat, ut scil. cum omnia principiis  
 inesse soleant, si primo anni die industrii & solertes essent, de  
 totius anni diligentia & solertia augurarentur. Rosin. d. l. Imò pro  
 salute principis, æternitateq; Imperii post Calendas Januarii die  
 III. vota solenniter concipiebantur, de quibus tamen alibi. Vid. in-  
 terim noster Strauch. cit. loc. Præter Calendas Januarii eminent  
 Calendæ Martii, propterea notabiles, quod olim initium anno de-  
 derint, uti ex antecedentibus constat. His calendis mercedes exsol-  
 vebantur Magistris, quas completus annus deberi fecit, comitia  
 auspiciam capiebant, vectigalia locabantur, & ut plurimum loca-

XVII.  
 Christiano-  
 rum jeju-  
 nia.

XVIII.  
 Calendæ  
 Januarii in  
 acta Prin-  
 cipis jura-  
 bat populus.

XIX.  
 Consulatus  
 suscipieba-  
 tur.

XX.  
 Calendæ  
 Martii &  
 Garia ea-  
 rum nego-  
 tia.

B

tiones



XXI.  
*Festa Mulierum Calendis Martii celebrata*

XXII.  
*Et dona mulieribus missa sunt.*

XXIII.  
*Calendae Quintiles & varia in eis opera.*

tiones incipiebant, atq; pensiones agrorum inferebantur, juxta l. 58. ff. de usufruct. § l. 19. C. Th. de exact. Vid. Brisson. de verb. signific. lib. 3. Constat quoque, eum diem festum Mulieribus fuisse, quippe cum Matronæ Marti Matronalia celebrarint, cujus rei quinque ex Ovidio recenset causas Rosin. lib. 4. Antiq. Roman. Hinc ipsis hoc die munera missa sunt, uti ex l. 31. §. si vir. 8. ff. de donat. inter vir. & uxor. notanter patet, verba legis hæc sunt: *Si Vir uxori munus immodicum Calendis Martii aut natali die dedisset, donatio est.* Unde colligitur, licet donationes inter conjuges in die natali Salvatoris nostri, vel die natali Conjugis sint licitæ, hoc tamen non procedere, si sint immodicæ, teste Dn. Brunnem. ad dict. l. 31. §. 8. Putant quidem nonnulli, quasi munera Conjugibus sint missa propter hanc rationem, quod & strenæ olim in Calendis Martii, quæ anni initium apud Antiquos constituerunt, mitti solitæ fuerint; verum propterea potius fœminis munera missa esse putamus, quod Calendæ Martiæ fœminis solennes essent, unde & fœmineæ dicuntur Calendæ à Juven. Satyr. 9.

*En! cui tu viridem umbellam, cui succina mittas  
Grandia, natalis quoties redit aut madidum Ver  
Incipit & strata positus longaq; cathedra,  
Munera fœmineis tractas secreta Calendis.*

Sueton in Vespas. c. 19. Sicut Saturnalibus, inquit, dabantur Viris apophoretha, ita & Calendis Martiis fœminis. Macrobius Saturnal. 1. c. 12. Hoc mense, inquit, cœnam apponebant Matronæ, ut Domini Saturnalibus: *Illæ ut principio anni* (pro tempore sc. veterum Romanorum, qui tunc tantum decem menses habebant) *ad promptum obsequium in honore servos invitarent, ii ut gratiam perfecti operis prestarent.* Propter quam causam & Martial. l. 5. Epigram. Martias Calendas Saturnalia fœminarum appellat. Saturnalia autem quid fuerint, ex Rosin. Antiq. lib. 4. c. 16. aliisque patet. Add. Rævard. qui lib. 3. Conject. c. 4. sub fin. consentanea tradit, & solennia munera, quæ Parentibus cognatisq; mitti solebant, apud Paulum in l. 12. §. 3. ff. de administr. & peric. Tut. de donis vel die Natali vel Calendis Martiis missis accipienda esse statuit. Denique notabiles fuerunt Calendæ Quintiles sive Juliæ, quod eo die migrationes ex ædibus apud Veteres fieri consueverint, quare erant solen-



solennes, tum quoad discessum ex habitatione, tum etiam quoad conductiones prædiorum, hocq; ex l. 9. pr. ff. qui pot. in pign. § l. 41. pr. ff. de contrab. empt. ejusdemq; verbis: ut omnimodo intra Calendas Julias venditor fundum liberaret, patet. Ex iis namque verbis Anton. Augustin. lib. 4. Emend. 4. notat à Ciceronis ætate receptum fuisse apud Romanos, Calendis Quintilibus seu Juliis è domo conducta migrare, eumque diem conductionum primum fuisse. Luculenter hoc probat Cicer. in Epist. ad Q. Fratr. in verbis: Domus tibi ad lucum Pisonis Luciniana conducta est, sed ut spero paucis mensibus post Calendas Quintiles in tuam commigrabis. add. l. 60. pr. ff. loc. cond. l. 12. ff. de precar. Hunc itaque diem solennem fuisse inchoandis locationibus & mercedibus exsolvendis notat Politianus, penes quem tamen rectè monet Gothofr. ad l. 9. ff. q. pot. in pign. quod & Calendæ Martiæ addendæ sint, Calendis siquidem Martiis pensiones & Mercedes solvi solitas fuisse, ex supradiçtis & cit. leg. 58. de usufruct. satis constat. Quæ reliquorum mensium concernunt Calendas, illa studio omittimus, ne labor noster ultra intentionem excrescat, videri tamen possunt, penes Rosinum lib. 4. Antiq. Rom. à c. 5. usq; ad finem. Hoc saltem adjiciendum erit, quod Calendæ (1.) ab Ovidio vocentur *Ausonia*, id est, latina. Græci enim hujusmodi Calendas non habuerunt, unde Proverbialis phrasis in casu præcisæ negationis recepta est: *ad Calendas Græcas*. Martin. in *Lex. Phil. sub voc. Calendæ*. (2.) Quod Calendis non solum elocata, sed & exactæ fuerint pecuniæ, qua de causa tristes quoque ac celeres vocatæ sunt, sed de his in subseq. capite plura proponenda venient. Hac vice, ut pro ratione instituti progrediamur, quæstio grammaticalis: An Calendarium per C, an verò per K scribendum & exprimendum sit? proponenda erit. Sanè, Criticorum nonnulli Calendarium litera K pingunt, rationem si quæras, ad Autoritates, MSta & Saxa confugiunt. Allegant locos Senecæ lib. 1. de benef. cap. 2. lib. 7. de benef. c. 10. it. Ejusdem Epistol. LXXXVII. ubi Calendarium lit. K. expressum reperitur. Citant Euseb. qui tribus hisce verbis: Caput (cil. libri) Calendæ, Calumnia, & Lips. qui illis: Caput, Calendæ, Cæso, (nomen proprium) K præponi voluit. Eorum quoque sententiam adjuvare videtur ipsa vocabuli Etymologia, quod à

XXIV.  
Calendæ  
quomodo ab  
Ovidio vo-  
centur.

XXV.  
Quomodo  
Calendarium  
scriben-  
dum.



Græco Καλῆν descendat. In toto quoque Juris Corpore à Gothofred. edito Calendæ non per C, sed per K exprimuntur. Saxa quæ attrahunt, congescit Rosinus *d. locis*. Verum rectè illis objiciunt alii lit. C. Calendarium scribentes, literam K. Latinos posteriores inutilem putasse, cum C. ejus vicem supplere possit. Literam K. qua olim Calendas & priorum quorundam nominum principia notabant (Valer. Prob. *de lit. antiq.*) hodie nullo in usu esse, tantùmquæ in numero cæterarum, ut Fabius *l. 1. c. 5.* inquit, manere. Quod olim etiam Kæsar, Kikero scriptum fuerit, Schmi dius testatur, cum tamen neque Cæsar neque Cicero vix nomina sua ita expresse- rint. Philologos quoquæ optimos Martinium, Buchnerum, Brisson. *de verb. sign.* imò omnes tere cordatiores advocant, qui omnes unanimiter lit. C. Calendas notant, ad quorum scamna illud Taciti *l. 6. de morib. germ. Ita seculum est*, accedere me jubet. Quare receptiorem Neotericorum usum juxta Rosin. secutus, ita Calendas per C. inscripsi. Nec iratum idè Apollinem sentiam, eum apud Trajan. Boccacini, non diversa, vocis: *consumptum* scriptura, ad iram ipsum commoverit, sed Manutius, qui lapide, in quo *consumptum* per p. & non per b. expressum erat, Arabino nasum perfregerat. Plura hac de re qui desiderat, evolvat Lex. Philol. Martinii. *lit. K.* ubi constanter asserit, jam receptum esse, ut idem sit nostrum C. quod Græcorum K. explosa eorum sententia, qui aliter autumant. Hinc & in *§. 1. Inst. de test. ordin.* Calata comitia, non per K. sed per C. proponuntur. Calendarii significatio est duplex, denotat enim vel (1.) librum fœnebrem, id est, talem, in quo usuræ in Calendas singulas petendæ & exsolvendæ perscribebantur, *Ein Zins-Register / Itemsbuch* / uti est illud Senecæ *d. Ep. LXXXVII.* Magnus Calendarii liber volvitur. vid. Lips. *in Comm. ad Senec. l. 7. de benefic. c. 10.* Et in hac significatione Calendarii voce Juris-Consulti quam maxime utuntur, uti ex variis cap. seq. citatis textibus patebit. Vel etiam (2.) Hemerologium significat seu rationarium dierum omnium per menses unius anni distributorum, quod vulgo Almanacum vocamus. Martin. *in Lex. Philolog.* & alii. Utraque significatio in subsequenti- bus consideranda erit.

XXVI.  
Significatio  
Calendaris  
quæ duplex.

CAP.



## CAP. II.

### De Calendario prioris significationis, qua- tenus scil. librum fœnebris pecunia denotat.

**Q**UOD itaq; Calendarium significationis prioris concernit cer-  
tum est, Codicem illud fuisse vel tabulas Patrisfamilias, secun-  
dum Hotomannum in *Comment. V. J.* accepti & expensi singulorum  
dierum, Rosinus hoc nominat *l. 4. A. R. c. 5.* librum, in quo accepti &  
expensi ratio continebatur. Quia verò in hunc codicem vel librum  
fœnebris quoq; relata est pecunia, ideo Calendarium librum quo-  
que fœnebris pecuniæ creditæ, & in quo debitorum nomina scri-  
bebantur, denotavit, nihilq; aliud fuit, quam Codex occupatarum,  
h. e. fœnori collocatarum pecuniarum. *l. ult. ff. de pecul. l. 88. pr. ff.*  
*de leg. 2. l. 3. Cod. de compens. l. 23. de pecul. leg. l. 64. ff. de leg. 3.*  
*Zanger. de Except. p. 3. c. 8. n. 21. Martin. in Lex. Philolog. sub voc.*  
*Calendarium. sive Codex, in quem nomina debitorum refereban-*  
*tur. Schard. in Lex. Jurid. sub eod. vocab. Add. l. pen. ff. de reb. cred.*  
*Briffon. lib. 3. de verb. signif. Nominis impositi ratio hæc erat, vel*  
*quod singulis Calendis Collybistæ pecunias fœnori exponendas in*  
*foro haberent. Vid. interpretes Horatii in lib. Epod. od. 2. in fine*

I.  
Quid fuerit  
Calendarium  
prioris  
significa-  
tionis.

II.  
Unde ita  
dictum fue-  
rit.

*Omnem redegit idibus pecuniam*

*Quærens calendis ponere.*

Vel quod primo cuiusq; mensis die, qui Calendarum nomine ve-  
nit, darentur ad usuras pecuniæ, & ut plurimum usuræ cederent.  
*Lips. in Not. ad Senec. Epist. 87. n. 10.* Veteres enim Calendarum  
nomine libris suis præposito, quæ deinde nomina fecissent, subscri-  
bere, ac in singulos menses usuras, & quidem in diem Calenda-  
rium stipulari solebant. *l. 40. ff. de reb. cred. Quapropter libris fœ-*  
*neratorum hoc Calendarii nomen inditum est. l. 41. ff. de reb. cred.*  
*d. l. ult. ff. de pecul. unde Martial. lib. 8. Epigr.*

*Superba densis arca palleat nummis,*

*Centum explicentur pagine Calendarum.*

Et Ovid. *lib. 2. de Remed. amor.*

*Qui puteal Janumq; timent celeresq; Calendas  
Torqueat hunc ævis, mutua summa, sui.*

B 3

Hic



Hic verò celeres ab Ovidio vocantur calendæ, quod voto & desiderio debitorum celerius redeant & usurarum incrementum adferant. Briffon. d. l. Aliàs quoq; tristes nominantur, quod secundum Hotomann. in Comm. verb. Jur. veteribus moris fuerat, Calendis quoque usuras exigere. Huc spectat illud Horatianum Sat. 3. lib. 1.

*Qui nisi cum tristes misero venere calendæ.*

Vel si Meiero in Colleg. Argent. tit. de usur. credimus, qui th. 16. Idibus demum sequentibus usurus exactas fuisse arg. l. 89. §. 2. ff. de solut. asserit, ejusq; rei gratia ad Horatianum illud, quod antea allegavimus, provocat, ideò tristes nominari possunt, quod efficiant, ut usuræ jam deberi incipiant. Et hujus Calendarii frequens apud Senecam fit mentio. Non solum enim lib. 2. de benef. c. 2. notanter dicit: *Nemo Beneficia in Calendario scribit*, id est in libro fœnebris, in quo nomina & pecunia fœnebris inveniuntur, sed & Epist. LXXXVII. venuste hoc proponit: *Divitem illum putas, quia aurea suppellex etiam in via eum sequitur, quia in omnibus provinciis arat, quia magnus Calendarii liber volvitur*, id est, ut Lipsii & Martini verbis explicemus, fœnebris pecuniæ liber. Hinc prodierunt

III.  
Varia de eo  
Phrases.

Phrases: Calendarium versare, Calendarium exercere. l. uxorem. 41. §. legaverat. 6. ff. de leg. 3. Calendario destinare pecunias l. 64. ff. de leg. 3. Calendarii actionem præstare. l. 39. §. negligentia. 14. ff. de administr. & per. tutor. Calendario præponere servum. l. pen. ff. de reb. cred. & similes, quæ in jure nostro frequenter obveniunt. Jung. Budæus ad l. tali. 48. §. socer. 1. ff. de jure dot. Alciatus lib. 3. Parerg. c. 23. Briffon. cit. loc. §. lib. 6. de form. Patet verò ex

IV.  
Usurarum  
mensuram  
origo.

his mensurarum usurarum fons & origo. Nam quilibet ferè mutuo daturus indigentiam & jacturam rei familiaris prætexebat, neque temerè concedebat quicquam, nisi indemnem se noverat futurum, alter verò adactus necessitate, facile se sponcione pensionis, quam creditor stipulabatur, obstringebat. Hinc pleriq; non in annum, quamvis nec annum fœnus planè ignotum fuerit, sed ad unum vel alterum tantummodo mensem credere aut accipere pecuniam volebant. Taxato itaque modo lucelli, quod probabiliter ex credito in mensem quisque acquirere poterat, usuræ quoq; respectu ejusdem definiabantur. Quod si ad diem præstitutum for-

tem



tem non solvebat Debitor, habita ejus menstrui ratione, usuræ protrahebantur. Quum autem multi creditorum carere diu mercede rerum suarum non possent, non expectabant temporis ad pensionem præstandam exitum, sed ad finem singulorum mensium eam efflagitabant, quod diuturna consuetudine postmodum in mores abiit. Vid. Salmat. de M. V. pag. 58 & seq. Neque etiam subscribere possumus acutissimo Jcto Jacobo Cujacio ad African. & Gothofred. ad l. pen. ff. de reb. cred. qui ea de causa creditores in singulos menses, vel in singulas Calendas usuras stipulatos fuisse asserunt, ut hoc scil. pacto solutæ per tempora & partes duplum excederent, quod l. 20. C. de usur. olim permittebatur. Parum enim refert, utrum in menses singulos, an in annos singulos usuræ promittantur, quum annuæ quoque per partes h. e. quotannis exigi, atque eodem modo duplum excedere possint. Venit alias hoc Calendarium nomine Tabularum, & quidem antiqui ferè in tabulis ligneis scribere solebant, iisq; pro chartis utebantur, erant autem cera illitæ, literasque stylo primum ferreo, postea osseo in iis exarabant. Unde non solum cera pro tabulis dicitur. Sueton. in Jul. Quintum Pædium ex quadrante heredem instituo, reliquos in ima cera, sed & ceratæ à Plauto in Asinaria appellantur, neque etiam testamenti duntaxat, sed & contractuum & alterius cujusdam negotii fuerunt, indeque bonorum possessio contra tabulas contra lignum vulgo dari dicebatur. l. 19. ff. de bon. poss. contr. tab. Sic dicuntur tabulæ nuptiales in l. 9. C. de nupt. & apud Terrull. in libr. de pudic. quas tabulas matrimoniales vocat Firmicus libr. 7. Mathes. c. 7. tabulæ dotis, l. pen. pr. ff. de donat. inter vir. & uxor. seu tabulæ dotales in l. 12. ff. de dot. releg. Tabulæ venditionis, l. 2. C. si mancip. ita venierit. Tabulæ emptionum in l. 1. C. Th. de his, qui ven. etat. impetr. Tabulæ instrumentorum Reipubl. l. 31. l. 32. ff. de furt. Tabulæ, quibus pecunia expromissa erat. l. 104. §. 1. de leg. 1. Tabulæ rem salvam fore cautionis l. 5. ff. de susp. tutor. Tabulæ deniq; accepti & expensæ. Moris namq; erat, ut Patres familias quæcunq; per singulas dies, aut acciperent aut expederent, primum properè ac festinanter in codicem, memoriæ causa paratum, referrent, quem Adversaria nominarunt, deinde per otium in aliis tabulis ordine & accuratè perscriberent, easque tabulas

V.

Synonymia  
hujus Ca-  
lendaris.

acce-



VI.  
Quid fue-  
runt nomi-  
na.

accepti & expensi nominabant, de quibus Cicero in Cluent.  
sic scribit: *Confecit Tabulas diligentissime, hæc autem res ha-  
bet hos certe, ut nihil possit neque additum neque detractum de re  
familiari latere.* Hotomann. in *Comm. Verb. Jur. sub voc. Tabula.*  
Atq; in has tabulas nomina quoq; debitorum relata sunt, unde  
prodiit obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, cum scil. in tabu-  
lis scribebatur, aliquem certam debere pecuniam. Neq; aliud  
fuit nomina facere, quam in tabulas referre alterius debitum.  
Hinc fuit, quod nomina fœneratitias cautiones significant, inter-  
prete Justinian. in *l. ult. C. de pact. convent. Sc.* & obligationes seu  
debita appellentur nomina *l. 4 ff. de V. S.* Cujus rei rationem ex-  
ponens Ascon. Pædian. in *3. Verrin.* titulos debitorum nomina ap-  
pellata scribit, ab eo, quod Calendariis solent eorum, quibus pecu-  
niæ credebantur, nomina præscribi; Spectat huc locus Bibaculi  
cujusdam elegans in Grammaticum, qui villa sua Creditoribus  
cesserat: *Mirati sumus, ait,*

*Unicum Magistrum,  
Summum Grammaticum, optimum Poëtam,  
Omnes solvere posse quæstiones,  
Unum difficile expedire nomen.*

Nomine deniq; tituli hæc obligatio venit, præsertim in iis debitis,  
in quibus illorum nomina Tab. adscripta sunt, quibus pecunia mu-  
tuo data est. Referri autem solebant hæc nomina vel tituli non tantum  
in tabulas Creditoris, verum etiam in aliorum quorundam, quæ  
tabulæ idcirco in judicium afferebantur. Et cum de istarum fide  
Censores quinto quoq; anno Cives ad jusjurandum adigerent, te-  
ste Dion. Halicar. *lib. 4.* ideoq; fidem in judiciis facere solebant,  
ut ex Ciceronis pro Q. Roscio Oratione demonstrat Hotomann.  
in *Comm. Verb. Jur. sub voc. Nominibus obligatio,* qui latius hoc  
explicat, & veterum præsertim Ciceronis confirmat testimoniis.  
Add. Vinn. *ad Inst. tit. de liter. oblig. n. 6.* Brisson. *de verb. signif.*  
*lib. 12. sub voce Nomina.* Schard. in *Lex. sub eod. vocab.* Et ita no-  
mina exaudienda sunt in *l. 30. ff. de pet. hered. l. 6. l. 17. l. 23. §. 1. ff.*  
*de hered. vend. l. 3. ff. de usufr. ear. rer. Sc. l. 2. l. 6. l. 7. C. de oblig.*  
*Sc. act. l. 1. C. de novat. l. 4. C. quæ res pign. Sc. l. 18. C. de leg. l. 77.*  
*§. hereditatem. 18. de leg. 2.* aliaq; loquendi genera, quæ ex hac no-  
minum



minum obligatione nata sunt, & ex Lex. Calvin. Jurid. Briffon. d. l.  
 aliisque fufius patent. His illustrationis gratia præmissis liquet,  
 quod Calendarium in patria, vel etiam aliàs exercere poterant &  
 Privati & Collegia. Privati quidem (i.) juxta l. 41. §. 6. deleg. 3. non  
 quidem omnes, sed qui ejus generis negotiationē exercere, pecunias  
 elocare & usuras in singulas Calendas, id est, in singulos menses  
 ad exactiōem constitutos, stipulari possunt, quales sunt omnes  
 Patresfamilias, qui in domo dominium habent, l. 195. §. 2. ff. de  
 V. S. Quamvis verò & puberem & impuberem pupillum patrem-  
 fam. appellemus, juxta d. l. 195. §. 2. §. l. 4. ff. de his, qui sui vel §. c.  
 Interim tamen quoad Calendarii exercitium quàm maxime præ-  
 supponendum erit, ut Paterfamilias sit, qui contrahere, adeòque  
 res fœnori exponere potest, quales non sunt Infantes. §. 10. Inst. de  
 inutil. stipul. l. 14. de sponsal. l. 1. §. 13. ff. de obligat. §. act. Furiosi.  
 l. 5. l. 40. l. 124. §. 1. de R. J. l. 1. §. 12. ff. de Obl. §. Act. l. 12. ff. de  
 reb. cred. Mente capti, qui etiam si à furiosis separentur l. 2. ff. de  
 inoff. testam. illis tamen sunt proximi, ut nihil quoque intelligere  
 videantur. Impuberes non modò in Patris potestate constituti. l.  
 ult. §. 2. de V. Obl. §. 10. in fin. J. de inutil. stipul. sed & pupilli sine tu-  
 toris auctoritate. l. 28 pr. de pact. l. 35 pr. ff. de jurejur. His similis  
 est ebriosus, cui *ἀσωτία* adscribit D. Paul. Ephes. 5. vers. 18. quo  
 nomine prodigorum vitium propriè appellatur non modò ab Ari-  
 stotele 4. Ethic. 1. aliisque, sed etiam à Græcis Jctis, facit huc l.  
 12. §. 2. de tutor. §. curat. dat. Denique omnes illi, qui vel propter  
 deficientem consensum, vel denegatam liberam alienandi facultā-  
 tem mutuum dare nequeunt, quos ordine recenset Meier. in Colleg.  
 Argent. de reb. cred. num. 10. Defectum tamen supplet tum Patris,  
 tum etiam tutoris & curatoris auctoritas, qui vel nomine harum  
 personarum Calendarium exercere, vel etiam exercitium suscipien-  
 dum auctoritate sua confirmare possunt. Imò, & tutores & cura-  
 tores pecuniam impuberum fœnori elocare jubebantur, si reperti  
 fuerint homines idonei, & qui hoc omiserant, ipsi usuras pendere  
 cogebantur. l. 3. C. de usur. pupill. l. 24. C. de administr. §. per. tutor.  
 Jure Novellarum hoc certo modo restrictum, neque aliter proce-  
 dit, quàm si mobilis sit pupilli substantia. Nov 72. c. 6. §. 7. Coler.  
 de Proc. Execut. p. 1. c. 10 num. 72. Confer. Joh. à Sand. 2. Decis.  
 Fris.

VII.  
 Quinam  
 Calendarium  
 exercere  
 possint.

VIII.  
 Quinam  
 prohibeantur

IX.  
 Certis ta-  
 men casibus  
 ad exerci-  
 tium Calen-  
 darii ad-  
 mittuntur.



*Fris. tit. 9. def. 13. Carpzov. p. 2. Const. 11. def. 22.* ubi monet, quod hodie, revocato veteri jure, rursus introductum esse videtur, ut tutores pecuniam pupillarem fœnori exponere vel in emptionem prædiorum collocare, aut si hoc neglexerint, usuras pupillo refundere teneantur. Ernest. Cothm. vol. 4. Resp. 9. num. 69. Covarruv. l. 3. var. Resolut. c. 2. Præter privatos & Civitates & Collegia, teste Rosin. lib. 4. Antiq. Roman. c. 5. in fin. Calendarium h. e. ejus generis negotiationem exercere possunt, modo licita sint, & ex S. C. Ti vel Cæsaris autoritate coierint, quia collegia juris publici sunt, & non secuta approbatione Superioris, ob metum factionum, conventicula fiunt, quæ propter laxationem disciplinæ publicæ merito prohibentur. Dd. ad l. Neratius ff. de V. S. Menoch. l. 2. A. J. Q. cas. 597. n. 1. Gigas. de crim. les. Majest. rubr. qualiter & à quibus. q. 48. num. 4. Berlich. p. 1. dec. 150. num. 2. Hujus Calen-

X. *Curatores Calendarii.* darii certi constituebantur Curatores. l. 13. C. Theod. de curat. Calendar. quæ curatio uti & quæstura in Civitate inter honores non habebatur, sed personale munus erat, juxta Arcad. l. ult. §. 2. de muneribus. Objectum Calendarii sunt debita & pecunia fœnori de-

XI. *Objectum Calendarii.* stinata. l. 64. ff. de leg. 3. Hinc pecunia in Calendarium conversa fœnori dicitur esse destinata. l. 39. §. negligentia 14. ff. de administr. Tutor. Et qui alicui Calendarium præstare vult, non nomina duntaxat debitorum, sed & pecuniam, si qua ab his exacta, & Calendario destinata fuerat, præstare debet, per d. l. 64. ff. de leg. 3. Quare si quis leget Calendarium seu librum negotiationis suæ, *Die Handels-Bücher/* censetur legasse quodcumque nomen debitoris sui, quod in eo Calendario seu libro continetur, it. pecunias ex nominibus redactas & rursus alii collocatas vel saltim destinatas; Non verò si pecuniæ ex nominibus redactæ reperiantur, sed non destinatae ad hunc finem, ut elocentur, juxta d. l. 64. Confer. l. 37. de usufr. legat. Mant. de conject. ultim. volunt. libr. 9. tit. 1. numer. 9. Menoch. lib. 4. præsumt. 143. n. 9. Forma hujus Calendarii du-

XII. *Forma Calendarii duplex, prior.* plex fuit. (1.) Enim mutuam crediturus pecuniam cum accipiente Argentarium adibat, ab eoque in tabulas suas referri petebat, tot vel tot esse credita vel numerata. Harpprecht. ad Instit. tit. de lit. oblig. n. 3. §. 4. quo facto dicebatur obligatio fieri nominibus, per mensæ argentariæ scripturam sine stipulatione. l. 27. §. 1. ibique Gotho-



Gothofred. de furt. l. 9. §. 2. de edend. Mensæ, cujus hic fit men-  
tio, ea ratio est: Argentarii mensas cum ære in foro positas habe-  
bant, apud eos pecuniæ deponerantur, per eos quoque Romani  
emebant, credebant, atque etiam fœnori elocabant, omnia deniq;  
exercebant, deq; his omnibus argentarii conficiebant rationes, sic  
ex eorum scriptura nascebatur obligatio. Et ad hæc argentario-  
rum nomina procul dubio respicit l. 38. ff. de obl. & act. ubi dici-  
tur: *Non figura literarum, sed oratione, quam exprimunt literæ, obli-  
gamur, quatenus (id est) quia placet non minus valere, quod scri-  
ptura (sc. mensæ) continetur, quam quod lingua figuratis solennibus sti-  
pulationis verbis.* Vid. Cujac. lib. 22. Observ. c. 4. per tot. Quia  
itaque munus hoc Argentariorum publicum erat inserviebatq;  
negotiis & contractibus Civium. l. 10. & passim D. de edend. Ideo-  
que tabulæ illæ, propter magnam Argentariorum fidem conscriptæ,  
obligationem producebant, imò plene probabant. Rittershul. ad  
Inst. tit. de liter. oblig. Frantzk. Ex. ad Inst. 10. q. 9. Tabulæ (2.)  
vel Calendaria & rationes domesticæ apud privatos exarabantur,  
in quas debitor ipse suum inscribebat nomen, & præsentibus testi-  
bus (qui secundam Senec. de benef. lib. 3. cap. 15. viri erant or-  
nati, nimirum: Romæ Equites aliique clari nominis & integræ  
famæ viri; in Provinciis Duumviri, Decuriones aliique non i-  
gnobiles) interrogabatur à Creditore: *Centum illos aureos, quos  
mibi ex causa mutui debes, tu mihi ex promissione & conventione lite-  
rarum tuarum dabis?* qui respondebat: *Ex conventione dabo mea-  
rum literarum.* Eleganter hoc, quanquam non absolutè omnino ex  
veterum Jurorum Commentariis describit Theophilus in suis In-  
stitut. tit. de liter. oblig. dum docet: *Sic apud Veteres nominibus fieri  
solitam obligationem, ut is, qui rem aliquam emptionis, locationis,  
stipulationis, aut simili quovis titulo sibi habebat obligatam, maja-  
ris securitatis causa tabulas proferret, quibus debitorem ad perscri-  
bendam debiti seu nominis quantitatem & causam veterem hac in-  
tentione urgebat, ut omissâ veteris obligationis causâ commodior suc-  
cederet ex literarum subsignatione civilis debiti persecutio.* Quod verò  
hæc obligatio præsentibus signatoribus & testibus fiat, passim ex  
Senec. patet. Neque etiam hujusmodi interrogatione contentus  
erat Creditor, inquit Senec. alleg. loc. nisi rem quoque manu te-  
neret.

XIII.  
Forma po-  
sterior.



neret. Idcirco tabulas, quibus illa interrogationis & responsionis verba continebantur, certis verbis & certis quibusdam formulis transcribentur Pararii, adjectis loco, die & Consule. Huc spectat illud Plauti in Aulularia:

*Nostra ætas non multum fidei gerit,  
Tabula notantur, adsunt testes duodecim,  
Tempus locumq; scribit Actuarius,  
Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.*

Et huic consentaneum est, quod Scævola in l. 92. ff. de R. J. proponit: *Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset, nihil nocere, quo minus & reus & fidejussor teneatur.* Pararium hic à Seneca allegatum, illum procul dubio fuisse credimus, quem Plautus Actuarius, Scævola librarium & Ulpianus Tabellionem appellat. Tandem Viri ornati, qui erant ad testificandum adhibiti, tabulis transcriptis non signa solum imponebant, sed nomen etiam quisq; suum subscribebat. l. 39. de verb. sign. l. 22. §. 4. ff. qui testam. fac. poss. Quomodo autem signari debuerint ejusmodi tabulae, eleganter docet Jul. Paulus sent. lib. 5. tit. 25. his verbis: *Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atq; impositæ super linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent.* Aliter tabula prolata nihil momenti habent. Quare Sueton. in Nerone: *Adversus falsarios, inquit, tunc primum repertum, ne tabulae, nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.* Hi, qui tabulas signabant, signatores dicebantur, quod nemo inficiabitur, qui satis, quid sibi voluerit Venulejus intelligit, cum ita l. 22. ff. de testib. scribit: *Curent Magistratus cujusq; loci testari volentibus & se ipsos & alios testes vel signatores præbere, quò facilius negotia explicentur, & probatio rerum salva sit.* Dubium nullum est, quin de ea obligatione hic senserit Venulejus, quæ nominibus fieri dicebatur, certè quod in ea contrahentes soleant testari, h. e. testes adhibere, quò facilius negotia (i. e. contractus l. 3. de reb. aut. jud. possid.) explicentur. Rævard. lib. 3. Varior. c. 1. per tot. Frantzk. cit. Ex. 10. q. 9. Rittershul. & Harpprecht. ad tit. Inst. de liter. obligat. Effectus hujus Calenda-

XIV.  
Modus signandi tabulas.



lendarii fuit magnus, quare etiam in judiciis fidem fecit, quod ex  
Cicer. Orat. pro Q. Rosc. ostendit Hotomann. in tantum, ut Harp-  
precht. cit. loc. putet, debitorem literis atq; ob signatis tabulis ritè  
ita inscriptum, præsertim si ipse sua se manu in suo aut credi-  
toris Calendario ut debitorem inscripseret, obligatum etiam ci-  
tra numerationem esse, cui tamen contradicit Vinnius, qui alleg.  
loc. num. 6. in fine. statuit, talem scripturam valuisse non ad obliga-  
tionem, sed tantummodo ad probationem. Quicquid tamen sit,  
hoc sanè certum est, quod magnam hoc calendarium legitime con-  
fectum in iudicio meruerit fidem, quare & illi, qui ex Calendario  
Reipubl. erat debitor, denegata fuit compensatio, i. e. si mutuam  
pecuniam publicam fœnori à civitate acceperat, quæ ut debitum in  
Calendarium sive rationes fœneratiæ pecuniæ referebatur. l. 3. C.  
de compens. ibiq; Brunnem. Zanger. de except. p. 3. c. 8. n. 21. Dn.  
Struv. Exerc. 21. thes. 23. Hilliger. ad Donellum libr. 16.  
c. 15. lit. p. in fine. Plura de hoc Calendario traditis tamen confi-  
milia videantur penes Speidel. in add. Spec. Jurid. sub voc. Calen-  
der. Sed hæc Calendarii obligatio postea in desuetudinem abiit, uti  
monet Justinianus in Instit. tit. de liter. oblig. Et si enim nomina  
passim in iure nostro dicantur, alia tamen hæc sunt à præcis illis  
nominibus, quibus obligatio contrahebatur & quodlibet debitum  
significant. Rittershusius cit. loc. Inq; hujus locum successerunt  
hodie chirographa, uti liquet ex l. plures 19. C. de fide instrument.  
Harpprecht. cit. loc. n. 4. Dn. Frantz. d. l. q. 9. Cum Calendario  
tamen affinitatem habent Mercatorum & negotiationis moderni  
libri. Brunnem. ad l. 64. ff. de leg. 3. more Calendarii notari, die  
Handels-Bücher / quibus hoc specialiter datum est, ut in subsi-  
dium semiplenè præbent, vel saltem ex communi interpretum ac-  
recepta & probata observantia. Felin. ad c. 2. X. de fid. instrument.  
Rutger. Ruland. in tract. de commiss. p. 2. lib. 5. c. 13. Andr. Gail.  
lib. 2. Observ. 20. num. 2. quod sua non destituitur ratione, si qui-  
dem Mercatores quibusvis mercium suarum emptoribus sine chi-  
rographo fidem habere solent, ut tanto æquius sit, plus fidei quoq;  
illorum libris adscribere. Dn. Carpzov. libr. 3. Respons. 58. num. 6.  
Ne tamen hæc assertio vago procedat ordine, ad certas easque se-  
quentes restringitur conditiones, (1.) ut Mercator sit bonæ famæ,  
pro-

XV.  
Effectus huius  
Calendaris

XVI.  
Calendaris  
obligatio in  
desuetudi-  
nem abiit.

XVII.  
Calendario  
affines Mer-  
catorum  
libri.

XVIII.  
Conditiona-  
te probant.



probaræ fidei & homolegalis. (2.) ut causa debiti in libris mercatorum exprimatur. *l. 25. §. 4. ff. de probat.* (3.) ut obligatio solummodò mercaturam concernat, in qua mercatores tanquam in artis suæ exercitio considerantur, adeoque fidem merentur, quod Doctores arg. *l. 9. §. 2. ff. de edend.* testantur. Carpzov. *p. 1. Const. 17. def. 35. §. seq.* (4.) ut liber rationum contineat data & accepta cum designatione dierum & anni, *d. l. 9.* (5.) ut non confuse, sed distinctè omnia sint scripta, & denique (6.) ut propria manu scripserit Mercator, quamvis de hoc ultimo requisito non omnium eadem sit sententia, & in foro Saxonico & alibi quoque propria manus non requiratur. Carpzov. *d. p. 1. Const. 17. def. 35.* Marquard. *de jur. Mercat. lib. 3. c. 9. num. 29. §. seq.* Vid. de tota hac materia Mev. *p. 1. dec. 241.* Carpzov. *d. Resp. 58. §. lib. 6. Resp. 121.* Hering. *de fidejuss. c. 20. §. 1. num. 70. §. seq.* & quos refert Finckelthuf. *Observ. 79. num. 12. §. seq. it. Brunnem. ad l. 9. §. 2. ff. de edend. num. 3.*

### CAP. III.

#### *De Calendario, quatenus Hemorologium denotat ejusq; hodierna divisione.*

I.  
*Calendari-  
um posteri-  
oris signifi-  
cationis.*

**C**alendarium, quatenus librum fœnebrem denotat, excipit Calendarium, in quo menses, hebdomadæ, dies & feriæ certo designantur ordine, Reinking. *de R. S. §. Eccles. lib. 2. class. c. 2. num. 17.* Prior Calendarii significatio ex antiquis Romanorum legibus hætenus fusius demonstrata est, nunc ratio nostri ordinis suadet, ut in posteriorem inquiramus significatum, quæ consideratio eò magis necessaria est, quia omnes procul dubio fatebuntur, ordinationem temporis, mensium, hebdomadarum, dierum ac feriarum, tum Reipubl. tum etiam Ecclesiæ quam maxime inservire, ac magnam ab ordine temporum, mensium & dierum dependere utilitatem, ut quævis suo peragantur tempore legali, suisque terminis constituentur certis & momentis perficiantur justis. Hinc Calendarii quoq; semper sibi vindicarunt Imperatores curam. Reinking. *de R. S. §. Eccl. d. lib. 3. class. 1. c. 2. n. 17.* quæ hodie eò gravior redditur, cum hucusque per seculum fermè duplex



duplex in Germania nostra sit receptum Calendarium, quod tan-  
tarum ~~in~~ conventionibus ac judiciis confusionum & rixarum causa  
exstitit, ut jam pridem SS. Imperii nostri Status eminentissimi de  
Calendarii reformatione saluberrima susceperint consilia, eamque  
ut & conformitatem Camerae & Civitatis Spirensis in hoc puncto  
introducendā, cum optatus eventus votis nondum correspondere  
voluerit, ad proximam extraordinariam visitationem, ut & Comitiam  
remiserunt Imperialia, quod Recept. Imper. de anno 1654. §. 158.  
satis indicat in verbis: Ob auch wohl mit und neben Uns Chur-  
fürsten und Stände vor gut befunden / daß in alle Wege zu Ab-  
wendung vielerley Confusionen / Unordnungen und Mißverständ-  
nisse / sonderlich an denen Orthen / wo beyderley Religionen in Us-  
bung und vermischet / zu nöthiger Beförderung der Justici- und Com-  
merci- in puncto Calendarii, eine gemeine Reichs- Vergleichung  
hochnöthig / so hat man sich doch dießmahl / aus gewissen Ursachen /  
weiter nicht vergleichen können / als daß bey bevorstehender extraor-  
dinari visitation, ob / und was gestalt bey unserem Cammer- Gericht  
in der Stadt Speyer hierunter eine Gleichheit einzuführen / confes-  
viret / benebens die Handlung obbedeuter durchgehender Reichs-  
Vergleichung reassumiret / und uff nächster prorogirter Reichs-  
Versammlung etwas gewisses statuiret werden solle. Hanc Consti-  
tutionem, ut pro instituti nostri ratione uberius explicemus, non-  
nulla de Calendario, quat. sc. Hemerologium sive Rationarium om-  
nium dierum denotat, aliasque vel fastorum, vel Ephemeridum  
vel etiam Almanaci nomine venit, origine, divisione, justitia ac  
in germania nostra subsecuta receptione dicendum erit, ad quam  
considerationem Nos ipsum quoque jus Civile per l. 98. ff. de V.S.  
deducit. Origo hujus Calendarii vetustissima est. Ita enim Con-  
ditorem de Luminaribus penes Mosen dixisse legimus Gen. I. V. 14.  
Sint in signa & statuta tempora diesq; & annos. Reinking. de R. S.  
& E. d. lib. 3. c. 1. class. 2. num. 17. Prima hæc adeoque sacra Ca-  
lendarii incunabula fuerunt, ac fastorum ortus. Deinceps cum  
ipsa Politia natalem quasi communem habuerunt & institutione  
Societatum. Hinc facile colligendum est, Gentes potissimum ex  
solicitudine innata eo laborasse, ut ad motuum cælestium nor-  
mam dividerent tempora, in hunc enim usum stellæ à DEO erant  
condi-

II.

Cura Calē-  
darii Impē-  
ratoribus  
& Statibus  
Imperii  
congenis.

III:

Origo Calē-  
darii vetu-  
stissima.



conditæ, ut essent signa temporum & dierum. De Chaldæis, Ægyptiis aliisque Gentibus non dicamus, Romani certè, uti Calendario vel Fastis nunquam caruerunt, ita temporibus diversis, diversos habuerunt, nullos verò diutiùs durantes, quam quos Julius Cæsar introduxit primum, ac festis diebus Constantinus M. instruxit. Primi urbis Romæ Incolæ, quicumque illi etiam fuerint, qualem dierum habuerit & mensium ordinem nos hodie latet. Hoc certum est, primum Romanorum Regem Romulum, Urbis vel autorem vel amplificatorem, annum decimestrem dierum 304. instituisse, uti iam tum in cap. 1. num. 12. sub fin. monitum & contra dissentientes confirmatum est. Quia tamen ista anni determinatio neque soli neque lunæ conveniebat, juxta tradita Gædd. adl. 98. de V. S. num. 3. Ideoq; hic defectus statim secundo Romanorum Regi ansam correctionis præbuit, suscepto proinde Regimine emendationem ita aggressus est, ut duos adhuc adderet menses.

IV.  
Romulus  
primo an-  
num deci-  
mestrē con-  
stituit.

V.  
Numa duos  
addidit  
menses.

Confirmat hoc ipsum Liv. atq; Ovid. lib. 1. Fast.

*At Numa nec Janum nec avitas præterit umbras  
Mensibus antiquis præposuitq; duos.*

An Numa leges motuum lunarium exactè calluerit, ac menses lunares fecerit? negant illi, qui seculum illud armis magis quam literis inclaruisse dicunt, ac Græcos & Ægyptios à Cleostrati temporibus ad Ptolomæi usque ætatem per sexcentos & quòd excurrit annos, in anno lunari determinando defudasse asserunt. In id ut anxius inquiramus, nostri non est instituti. Consulantur Scriptores, qui hoc ex professo tractarunt, interque eos Strauch. de Comput. Julio-Constantiniano. §. 5. & seq. Sufficiat nobis, quod Numa intercalatione mensium tempestates easdem semper servare instituerit, & hanc Februario assignaverit, quoniam is ultimus anni mensis erat. Quapropter re illa ad Pontifices (quorum nomen & officia fusius explicat Rosin lib. 3. Antiq. Rom. c. 22. per tot.) ob factorum jura delata, hi rationem anni ita habuerunt, ut alternis plerumque annis intercalarem mensem, qui modò 22. modò 23. dierum, modò plurium paucorumq; vel gratiâ vel necessitate flectente, fuit, in fine Februarii insererent, calato h. e. vocato ad hoc denunciandum Populo, unde & nomen hic *addititius mensis* & addititii illi dies, ut & annus, cui inferebantur, acceperunt, ut

VI.  
Ut tempe-  
stas quovis  
anno esset  
eadem in-  
tercalatio  
recepta.

Brif-



Briffon. de verb signif. verbum intercalare pro interponere, intersere-  
 re occasione l. 3. §. minorem. 3. ff. de minor. accipiat, ac intercalarem  
 illum diem esse dicat, qui, ut ratio anni Solis cursui conveniret,  
 extremo diei mensis Februarii addebatur. l. 2. ff. de divers. tem-  
 por. §. c. Confirmat hoc Celsus in d. l. 98. de V. S. §. 1. in verbis:  
 Cato putat, mensem intercalarem addititium esse, omnesque  
 ejus dies pro momento temporis observat, extremoq; diei mensis Fe-  
 bruarii attribuit Quintus Mutius. Sicut enim singulis mensibus Po-  
 pulum convocabant Pontifices ad significandum, quot dies super-  
 essent usque ad dies Nonarum, quo die significabatur, quæ sacra  
 eo mense facienda, quibusvis diebus, ita quoque hunc addititium  
 mensem prædixerunt, ac futurum pronunciarunt, ne sacra turba-  
 rentur. Qui mensis etiamsi decimus tertius esset numero, attamen  
 ne duo Februarii viderentur haberi, continuo numerabatur  
 cum ipso Februarii mense, sicque totus ille mensis addititius pars  
 ultimi diei Februarii juris existimabatur fictione. Atque illud  
 est, quod M. Cato juris peritissimus hic dixit, mensem intercala-  
 rem addititium esse, & Q. Mutius omnes ejus dies pro momento  
 temporis observat, extremoque diei mensis Februarii attribuit.  
 Quinam vero Cato ille & Q. Mutius Scævola J Ctus fuerint, expli-  
 cat Gædd. ad d. l. 98. de V. S. præcipuè tamen Francisc. Hoto-  
 mann. de J Ctorum, qui à Pomponio commemorantur, vitis p. m.  
 159. & 161. Uterque ante Jul. Cæsaris Pontificatum vixit, nam  
 Cato fuit filius M. Porcii Catonis inter secundum & tertium bel-  
 lum Punicum natus. Q. vero Mutius Scævola, circa annum U. C.  
 660. ante Christum natum 90. floruit, ut expressis notavit verbis  
 J. Gothofred in histor. jur. Civ. c. 7. de J Ctis eorumq; successione.  
 Intercalationi quare Februarius mensis deputatus, docet Rosin. lib.  
 4. Antiq. Rom. c. 1: Dicebatur aliàs ille mensis intercalaris Merce-  
 donius è mercedibus solvendis, quod eo mense mercedes locatio-  
 num solverentur. Wissenbach. ad tit. de V. S. Disp. 25. thes. 14.  
 Sicq; cum Plutarchus nominat, it. Mercedinum à Dea Mercedo-  
 na, quæ mercedibus & pensionibus solvendis præerat. Miratur  
 quoque Scäliger. de emend. temp. lib. 2. hoc nomen apud Græcum  
 Scriptorem exstare, apud Romanos verò istius ne vestigium quidem  
 apparere, non quod intercalationem ignorasse videantur veteres,

VII.  
 à Pontifici-  
 bus penes  
 Romanos  
 peracta  
 est.

VIII.  
 Quomodo a-  
 liàs inter-  
 calaris vo-  
 cetur men-  
 sis.

D

sed



IX.  
*Negligētia  
à Sacerdo-  
ribus in in-  
tercalatio-  
ne commis-  
sa tempora  
veterū in-  
certa red-  
didit.*

sed quod mensem hunc vel absolutè intercalarem vocarint, vel sub  
Februario, juxta haecenus dicta, comprehenderint. Postquam verò  
intercalatio ad Sacerdotum officium, teste quoque Rosino, trans-  
lata & universa temporum ratio eorum curæ commissa est, invidio-  
sè, negligenter atque iniquè intercalandi institutum, cui præerant,  
tractarunt, quod antiqua Romanorum tempora non parum incre-  
ta reddidit, sed & miram in rebus omnibus confusionem intro-  
duxit, de qua etiam Censorinus *de D. Natur.* sequentem in modum  
conqueritur: *Cum intercalarem mensem viginti duum & viginti tri-  
um dierum alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad natura-  
lem exæquaretur, in mense potissimum Februario, inter terminalia  
& Regifugiam intercalatum est, idq; diu factum, priusquam sentiretur,  
annos civiles aliquanto naturalibus esse majores. Quod delictum ut  
corrigeretur, Pontificibus datum est negotium, eorumq; arbitrio in-  
tercalandi ratio permissa. Sed eorum pleriq; ob odium vel gratiam,  
quo quis Magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici  
redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve  
ex libidine intercalando, rem sibi ad corrigendum mandatam ultrò  
depravaverunt. Posset agi legenes ne, inquit Cicero, pro L. Mura-  
na, pauci quondam sciebant: fastos enim vulgo non habebant. Erant  
in magna potentia, qui consulebantur, à quibus etiam dies, tanquam à  
Chaldæis, petebantur. Vide si elegantem etiam ejusdem locum in  
Verrem, quem, quia prolixior est, apponere nolumus. Jung. Gædd.  
ad d. l. 98. de V. S. in verbis: gratiâ ac necessitate suadente. it. Ro-  
sin. d. l. 4. Antiq. Rom. c. 1. Hinc quam causam Cæsar habuerit  
ut fastos corrigeret sufficienter notescit. Quærelarum enim pertæ-  
sus, quæ ex hac temporum confusione originem trahebant, &  
Remp. maximè dedeeorabant, negotium hoc arduum aggressus est.  
Quia verò intercalationi, tempori & fastis præesse Pontificibus tum  
à Superioribus concessum erat, (uti modi diximus & Alex. ab A-  
lex. l. 2. Genial. dier. c. 8. confirmat) quorum tum temporis magna  
erat autoritas, idèoque hanc dignitatem affectavit Cæsar, ean-  
demque obtinuit, qua de re Sueton. l. 1. in Jul. Cæs. Tanta igitur  
& Dictaturæ insuper pollens potestate Cæsar cum Consulatu si-  
mul decreta, animum ad corrigendos fastos adjecit, & commo-  
dissimo quidem tempore. Sosigenes enim Alexandrinus Mathe-  
maticus*

X.  
*Ex qua ra-  
tione Calen-  
darii cor-  
rexerit.*



maticus Cæsari tum præstò fuit. Summa igitur correctionis Julianæ hæc fuit, quod annum 365. dierum & 6. horarum æstimaverit Sosigenes, horarumque non nisi diem æquantium rationem haberi, & ita annum uno augeri die voluerit. Cæterum additioni diei datus est hic locus, quem mensis intercalaris olim obtinuit, id est, inter terminalia & Regifugium ita eum inseruerunt, ut sextum Calendarum Martii bis numerarint, seu pro uno eodemq; die & bissexto & Regifugii diem habuerint. Ita enim Celsus d. l. 98. de V. S. *Cum bissextus Calendas est, nihil refert an priore an verò posteriore die quis natus sit: & deinceps sextum Calendas ejus natalis dies est. Nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur non prior. Ideo, quo anno intercalatum non est, sexto Calendas natus, cum bissextus Calendas est, priorem diem natalem habet. Quia verò circa solstitium hybernium annum suum Cæsar auspicari voluit, juxta illud Poëtæ:*

*Bruma novi prima est, veterisq; novissima Solis,  
Principium capiunt Phœbus & annus idem.*

Ideò annus ille, quo correctio contigit, & quo Cæsar tertium cum Emilio Lepido Consularum gessit, mirificè auctus est, quod Suetonii confirmat testimonium in vit. Cæsaris: *Conversus hinc Julius ad ordinandum Reipublicæ Statum fastos correxit jam pridem vitio Pontificum adeò turbatos, ut neq; messium feriae æstati, neq; vindemiarum autumno competerent, annumq; ad cursum Solis accommodavit, ut 365. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quovis anno intercalaretur. Quò autem magis in posterum è Calendis Januarii nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem interjecit alios duos, fuitq; hic annus, quo hæc constituebantur 15. mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat. Et Censorini in verbis: Cæsar Pontifex Maximus suo tertio & Æmilii Lepidi consulatu, quo retrò delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum 67. inter mensem Novembrem & Decembrem interposuit, cum jam mense Februario dies 23. intercalasset, &c. Nomina mensium Cæsar non turbavit, sed Quintilis in sui honorem dictus est Julius, quod Cæsaris natalis in eundem incideret. Dio. Cassius l. 44. Et mensis hanc è suo nomine desumptam appellationem inter honores, quos nimios recepit*

XI.

*Annus, qui contigit correctionem mirificè auctus est.*

XII.

*Et Cæsar & subsequentes Imperatores à suo nomine nonnullos denotarunt menses.*



Julius, recenset Suet. *in vit. Cæs.* Augustus eandē aspernatus quoq; non est. Is enim annum à Julio ordinatū, sed negligentia postea conturbatū, ad pristinam rursus redegit rationem, in cujus ordinationē, sextilem mensem è suo cognomine nūcupavit magis, quam Septembrem, quo erat natus, quia hoc sibi & primus Consulatus & insignes Victoriæ obtigissent. Nero quidem Claudius postea tale quid etiam conatus est, quippe qui Aprilem mensem Neroneum appellari voluit, quemadmodum & Romam Neropolim vocaverat antea, sed parum hæc exacerbato à Tyranno Populo placuerunt. Fortunam planè eandem Domitiani nata est constitutio, quamvis enim & Is Septembrem Germanicum, Octobrem Domitianum vocari jussit, quod altero Imperium suscepisset, altero natus esset, hujus tamen mandati parum memores Romani nomina pristina retinuerunt, quod etiam Tacito contigit (Suetonius *in Tacito*) qui mensem Septembrem Taciti nomine insignivit, quo mense & natus & factus est Imperator, uti annotavit Flavius Vopiscus. Modestus ille Tiberius Nero modestior his omnibus fuit, honorem enim ultrò sibi oblatum recipere noluit, intercessit enim Suetonio teste *in vita Tiberii* & quo minus in acta sua juraretur, & ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur. Huic Juliano Calendario sacra Christianorum festa additamentum dederunt. In locum namque Nundinarum septimanas constituerunt, cum antiquis temporibus non in Calendas tantum Nonas & Idus menses Romani partiti sint, sed & nundinas observarint, quas feriatas olim fuisse, uti dubium non est, ita lex Hortensia fastas postea constituit. Propter quod repudium festorum gentilium & sanctimoniam diei primi adversa cuncta Christiani perpeffi sunt. Nota siquidem est non solùm illa inquisitorum à Tyrannis subornatorum quæstio: *Servasti Dominicum?* sed & hoc, quod Gentiles Christianos cujusdam Heliolatriæ incusaverint, solemque adorare mentiti sint, quam calumniam Tertullianus alicubi refert. Vid. Dn. Hildebrand. *in ritual. Orant. c. 1. §. 2. & seq.* & cum eo Dn. Præses *in Tract. de Juribus Templor. c. 5. n. 90. & 91.*

XIII.  
Juliano  
Calendario  
Festa Christi-  
anorum  
addita  
sunt.

XIV.  
Constantinus  
M. celebra-  
tionem diei  
Solis certa constitutione introduxit.

Porro cum tempore Constantini M. halcyonios dies Ecclesia nata esset, Constantinus M. non solùm ob diem dominicum ejusq; celebrationem sequentem proposuit constitutionem in l. 3. C. de feriis:



*feriis: Omnes Judices urbanaeq; plebes & cunctarum artium officia  
 venerabili die Solis quiescant. Sed & alii Imperatores dies Christiano-  
 norum festos Calendario annotatos, ut quotannis sacriati essent,  
 præceperunt. Ita enim Valentinianum, Theodosium, Arcadium  
 A. A. A. decrevisse legimus in l. 7. C. de fer. Omnes dies jubemus esse  
 juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit &c. Sacros Pa-  
 scha dies, qui septeno numero vel præcedunt vel sequuntur, dies et-  
 jam Natalis atq; Epiphaniarum Christi, & quo tempore commemora-  
 tio Apostolica passionis totius Christianitatis Magistra à cunctis jure  
 celebratur. In quibus etiam prædictis sanctissimis diebus, neq; specta-  
 culorum copiam reseramus. In eadem observatione numeramus & dies  
 Solis, quos ritè Dominicos dixere Majores, qui repetito in sese calcu-  
 lo revolvuntur, in quibus parem necesse est habere reverentiam, ut nec  
 apud ipsos arbitros, vel à Judicibus flagitatos, vel sponte electos, ulla  
 sit cognitio jurgiorum. Deniq; Teutonicis Populis Carolus Ma-  
 gnus, Imperii Germanici conditor, & hoc Calendarium ipsum &  
 nomina mensium dedit. Reinking. de Regim. Secul. & Eccl. lib. 3.  
 class. 1. c. 2. num. 24. Antea verò Tacito teste de morib. German.  
 cap. 8. annum in tres diviserunt partes. Ita enim inquit: Hiems  
 & Ver & Æstas intellectum ac vocabula habent: Autumni perinde  
 nomen ac bona ignorantur. Ac de diebus illorum ita c. 5. scribit:  
 Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit certis diebus, cum aut  
 inchoatur luna aut impletur, nam agendis rebus hoc auspici-  
 simum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos, sed noctium com-  
 putant. Sic constituunt, sic condicunt, Nox diem ducere videtur. Plura  
 de Computo Germ. ex aliorum patent scriptis. Et hæc de Calenda-  
 rio Juliano sufficiant. Quia tamen id ipsum successu temporis non  
 nulla contraxit vitia, quæ ex Mathematicorum passim patent scri-  
 ptis, ideoq; de emendatione proximis abhinc seculis cogitari cœ-  
 ptum est. Neque etiam cogitationes hæc de re privati solum mo-  
 dò susceperunt, sed etiam in gravescentibus Calendarii Juliani vitiis  
 in Conciliis hoc de negotio actum est. Ita in Synodo Constantiensi  
 anno Christi 1414. Petrus de Alliaco, Archiepiscopus Cameracen-  
 sis & Cardinalis, emendationem Calendarii proposuit, imò per-  
 suasit Johanni XXIII. Pontifici & Episcopis, ut bullam & decretum  
 de mutando Calendario ederent, cujus exemplar adhuc hodiè Ca-  
 meraci*

XV.

*Carolus M.  
 introductor  
 Calendarii  
 Germanici.*

XVI.

*De Calen-  
 dario Juli-  
 ano immu-  
 tando susce-  
 pta sunt cō-  
 sultationes.*

*Sub Johan-  
 ne XXIII.*



meraci asservari dicunt, sed propter turbulentum istius temporis statum hæc correctio suum non est sortita effectum. Paulò post hoc Constantiense Concilium habitum est Basiliense sub *Eugenio IV.* Pontifice circa annum Christi 1431. hic denuò de correctione Calendarii consultarunt, rem strenuè agente Nicolao de Cusa Brixiensi Episcopo, irrito tamen iterum successu, ob Episcoporum in correctionis modo determinando dissensum. Itaque *Sixtus IV.* de correctione denuò cogitavit, eumq; in finem Johannem Mullerum, ex oppido Franconia, *Regius mons* dicto, oriundum, & ideò Regiomontanum vocatum, Mathematicum celeberrimum, Romam vocavit, sed præmatura Regiomontani mors, quam invidia acceleraverat, etiam hunc conatum impedit. Seculo proximo in Lateranensi Concilio sub *Julio II.* & *Leone X.* ab annis 1512. usque ad annum 1517. celebrato, de emendatione Calendarii iterum actum est, & Nicolaus Copernicus, Torunens. Boruss. ad Solis Lunæque accuratam observationem, in usum correctionis Calendarii, vehementer admonitus. In Concilio Tridentino iterum de hoc negotio actum est, Petro Pittato Veronensi, præter innumeros alios, suam sententiam Concilio exponente. Meminit hujus Pittati Conradus Gesnerus in *Biblioth. univers.* Tandem Gregorius XIII. serio de emendatione Calendarii agere cœpit. Sicut enim Is anno 1572. Pontificatum adeptus, primus Episcopatus sui annis bello turcico intentus erat, ita simul animum ad emendationem Calendarii adjecit, & convocatis quam plurimis, qui Astronomiæ scientia inclaruerunt, per 10. annos eosdem liberaliter aluit. Hi anno 1577. Pontifici per *Antonium Liliu*, *Artium & Medicinæ Doctorem*, obtulerunt compendium restituendi Calendarii. Pontificis consilium, emendandi Calendarii rationem ac correctionis summam ipsius exhibet Bulla, cujus verba cum ad nostrum discursum quàm maximè faciant, sequentia sunt: *Gregorius Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam, inter gravissimas pastoralis officii nostri curas ea postrema non est, ut quæ a sacro Tridentino Concilio, sedi Apostolicæ reservata sunt, illa ad finem optatum, DEO adjutore, perducantur. Sanè ejusdem Concilii patres cum ad reliquam cogitationem Breviarii quoq; curam adjungerent, tempore tamen exclusi, rem totam, ex ipsius Con-*

*cilii*

*Eugenio IV.*

*Sixtus IV.*

*Jul. II. & Leone X.*

*XVII. Tandem Gregorio XIII.*

*XVIII. Gregorii Bulla de Calendario suo.*



cilii decreto, ad auctoritatem & iudicium Romani Pontificis retulerunt. Duo autem Breviario precipue continentur, quorum unum preces laudesque divinas, festis profestisque diebus persolvendas, complectitur: alterum pertinet ad annos Paschae, festorumque ex eo pendentium recursus, Solis & Lunae motum metiendos. Atque illud quidem felicitis recordationis Pius V. praedecessor noster absolvendum curavit, atque edidit. Hoc verò, quod nimirum exiit legitimam Calendarii restitutionem, jamdiu a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris & saepius tentatum est, verum absolvi, & ad exitum perduci ad hoc usque tempus non potuit, quod rationes emendandi Calendarii, quae ad caelestium motuum peritis proponebantur, propter magnas & ferè inextricabiles difficultates, quas hujusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod imprimis hac in re curandum erat) servabant. Dum itaque nos quoque credita nobis, licet indignis, a DEO dispensatione freti, in hac cogitatione curaque versaremur, allatus est nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio, artium & Medicinae Doctore, quem quondam Aloysius ejus Germanus frater conscripserat, in quo per novum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipsius Aurei numeri normam directum, atque ad quamcunque anni solaris magnitudinem admodatum, omnia, quae in Calendario collapsa sunt, constanti ratione & seculis omnibus duratura sibi restitui posse ostendit, ut Calendarium ipsum nulli unquam mutationi impostero expositum esse videatur.

Novam hanc restituendi Calendarii rationem exiguo volumine comprehensam, ad Christianos Principes, celebrioresque universitates, paucos ante annos misimus, ut res, quae omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur: illi cum, quae maxime optabamus, concordēs respondissent: eorum nos omnium consensione adducti, viros ad Calendarii emendationem exhibuimus, in atma urbe harum rerum peritissimos, quos longe ante ex primariis Christiani orbis nationibus delegeramus. Hi cum multum temporis & diligentiae ad eam lucubrationem adhibuissent, & Cyclos, tam veterum, quam recentiorum undique conquisitos, ac diligentissime perpensos inter se contulissent suo & doctorum hominum, qui de eà re scripserunt, iudicio hunc praeceteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nonnulla etiam adiecerunt, quae ex accurata circumspeditione visa sunt ad Calendarii perfectionem maxime pertinere.

Consi-



Considerantes igitur nos, ad rectam Paschalis festi celebrationem, juxta Sanctorum Patrum ac veterum Romanorum Pontificum, praesertim Pii & Victoris primorum, nec non magni illius Oecumenici Concilii Niceni, & aliorum Sanctiones, tria necessario conjungenda & statuenda esse: primum, certam verni aequinoctii sedem, deinde rectam positionem XIV. Lunae primi Mensis, quae vel in ipsum aequinoctii diem incidit, vel ei proximè succedit; postremò primum quemque diem dominicum, qui eandem XIV. Lunam sequitur: curavimus non solum aequinoctium vernum in pristinam sedem, à quâ jam à Concilio Nicenò decem circiter diebus recessit, restituendam: & XIV. Paschalem suò in locò, à quò quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distant, reponendam: sed viam quoque tradendam & rationem, quo cavetur, ut in posterum, aequinoctium, & XIV. Luna, à propriis sedibus nunquam dimoveantur. Quo igitur vernum aequinoctium, quod à patribus Concilii Niceni ad XII. Calendarum Aprilis fuit constitutum, ad eandem sedem restituatur; praecipimus, & mandamus, ut de mense Octobri anni 1582. decem dies inclusive, à tertia nonarum usque ad pridie Idus, eximantur, & dies, qui festum S. Francisci Nonas celebrari solitum sequitur, dicatur Idus Octobris, atque in eò celebretur festum S. S. Dionysii, Rustici, & Eleutherii martyrum, cum commemoratione S. Marci Papae & confessoris, & S. S. Sergii, Bachi, Marcelli & Apuleji martyrum. Septimo decimo verò Calend. Novembris, qui dies proximè, sequitur, celebretur festum S. Callisti Papae & martyris, deinde XVI. Calend. Novemb. fiat officium & Missa de Dominica XVIII. post Pentecosten, mutata litera Dominicali G. in C. Quinto decimo denique Calend. Novemb. dies festus agatur S. Luc. Evangelistae, à quò reliqui deinceps agantur festi dies, prout sunt in Calend. descripti.

Ne verò ex hac nostrâ decem dierum subtractione, alicui, quod ad annuas vel menstruas prestationes pertinet, praedudicium fiat, partes judicum erunt, in controversiis, quae super hoc exortae fuerint, dictae subtractionis rationem habere, addendo alios X. dies in fine cujuslibet prestationis.

Deinde ne in posterum à XII. Cal. April. aequinoctium recedat, statuimus Bisextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam centesimis annis, qui quamvis Bisextiles antea  
semper



semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum 1600. post eum ta-  
men, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles sunt,  
sed in quadringentis quibusq; annis primi quinq; tres centesimi sine Bis-  
sexto transigantur, quartus verò quisq; centesimus Bissextilis sit: ita  
ut Annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint: Anno verò 2000.  
more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. conti-  
nente: idemq; ordo intermittendi, intercalandiq; Bissextum diem in  
quadringentis quibusq; annis perpetuò conservetur.

Quo item XIV. Paschalis rectè inveniatur, itemq; dies Luna,  
juxta antiquum Ecclesie morem ex martyrologio singulis diebus edi-  
scendi, fideli populo verè proponantur, statuimus, ut amoto aureo nu-  
mero de Calendario, in ejus locum substituatur Cyclus Epactarum, qui  
ad certam (uti diximus) aurei numeri normam directus efficit, ut  
novilunium, & XIV. Paschalis vera loca semper retineant. Idq; ma-  
nifestè adparet ex nostri explicatione Calendarii, in quo descriptæ sunt  
etiam tabulæ Paschales secundum priscum Ecclesie ritum, quo certius &  
facilius sacrosanctum Pascha inveniri possit.

Postremò quoniam partim ob decem dies mense Octobri anni 1582.  
(qui correctionis annus rectè dici debet) exempto, partim ob ternos  
etiam dies, quolibet quadragintorum annorum spatium minimè interca-  
landos, interrumpatur, necesse est Cyclus literarum Dominicalium 28.  
annorum ad hanc usq; diem usitatus in Ecclesia Romana; volumus in  
ejus locum substitui eundem Cyclum 28. annorum, ab eodem Lilio, tum  
ad dictam intercalandi Bissexti in centesimis annis rationem, tum ad  
quamcunq; anni solaris magnitudinem accommodatum; ex quo litera  
Dominicalis, beneficio Cycli solaris æquè facile, ac prius, ut in proprio  
Canone explicatur, reperiri potest in perpetuum.

Nos igitur, ut, quod proprium Pont. Max. esse solet, exequamur,  
Calendarium immensâ Dei erga Ecclesiam suam benignitate jam cor-  
rectum atq; absolutum, hoc nostro decreto probamus, & Romæ una cum  
Martyrologio imprimi, impressumq; divulgari jussimus. Ut verò u-  
trumq; ubiq; terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum  
servetur, omnibus in nostro & sanctæ Romanæ Ecclesie dominio media-  
tè, vel immediate subjecto commorantibus impressoribus, sub amissio-  
nis librorum ac centum ducatorum auri Camera Apostolicæ ipso facto  
applicandorum: aliis verò in quacunq; orbis parte consistentibus sub

E

ex-



excommunicationis latae sententiae ac aliis arbitrii nostri poenis, ne sine nostra licentia Calendarium aut Martyrologium simul, vel separatim imprimere, vel proponere, aut recipere ullo modo audeant vel presumant, prohibemus.

Tollimus autem & abolemus omnino vetus Calendarium, volumusque, ut omnes Patriarchae, Primates, Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates & ceteri Ecclesiarum Praesides novum Calendarium (ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologii) pro divinis officiis recitandis, & festis celebrandis, in suas quisque Ecclesias, monasteria, conventus, ordines militias & dioeceses introducant, & eo solo utantur, tam ipsi, quam ceteri omnes Presbyteri, & Clerici seculares & regulares utriusque sexus, nec non milites, & omnes Christi fideles; cuius usus incipiet post decem istos dies ex Mense Octobri anno 1582. exemptos: iis vero, qui adeo longinquas incolunt regiones, ut ante praescriptum a nobis tempus harum literarum notitiam habere non possint; liceat, eodem tamen Octobri mense insequentis anni 1583. vel alterius, cum primum scilicet ad eos haec nostra littera pervenerint, modo a nobis paulo ante tradito, eiusmodi mutationem facere, ut copiosius in nostro Calend. anni correctionis explicabitur.

Pro data autem nobis a Domino auctoritate, hortamur & rogamus charissimum in Christo filium nostrum Rudolphum Romanorum Regem illustrem Imperatorem electum, ceterosque Reges, Principes & Respublicas, iisdemque mandamus, ut quo studio illi a nobis contenderunt, ut hoc tam praeclarum opus perficeremus; eodem, imo etiam maiore, ad conservandam in celebrandis festivitatibus inter Christianas nationes concordiam, nostrum hoc Calendarium & ipsi suscipiant, & a cunctis sibi subjectis populis religiose suscipiendum inviolateque observandam curent.

Verum quia difficile foret praesentes litteras ad universa Christiani orbis loca deferri, illas ad Basilicam Principis Apostolorum & Cancellariae Apostolicae valvas, & in acie Campi Florae publicari & adfigi, & earundem literarum exemplis, etiam impressis & voluminibus Calendarii, & Martyrologii insertis & praepositis, sive manu tabellionis publici subscriptis, nec non sigillo personae in dignitate Ecclesiasticae constitutae obsignatis, eandem proorsus indubitatae fidei ubique gentium & locorum haberi praecipimus, quae originalibus literis exhibitis



bitis omninò haberetur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc pa-  
ginam nostrorum præceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis,  
probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis & rogationis in-  
fringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attempta-  
re præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Pe-  
tri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Tusculi,  
Anno incarnationis Dominicæ M. D. LXXXI. Sexto Calend.  
Martii. Pontificatus nostri anno decimo. Hoc tempore nata est  
illa divisio inter Calendarium Vetus & Novum, quàm dicta Ponti-  
ficis Bulla hisce confirmat verbis: Tollimus autem & abolemus omni-  
nò vetus Calendarium, volumusq; ut omnes Patriarchæ & c. novum Ca-  
lendarium & c. introducant. Vid. Speidel. in Spec. Jur. sub voc. Cal-  
lender & Dn. Fritsch in Man. Jurisprud. publ. pag. 72. & 73. Sed  
de hac Calendarii emendatione diversissima & contraria planè e-  
nata sunt judicia. Quanquam enim Pontificii illam mirum com-  
mendarint in modum, & Clemens VII. hoc Calendarium perpetuum & perfectum nominavit; Non omnium tamen hac de re eadem  
fuit sententia. Nam eo ipso tempore, quo de Calendarii emendatio-  
ne consilium à Pontifice editum est, ipsi quoq; Romanenses senten-  
tiis, quorum aliquot penes Thuanum Histor. libr. 75. leguntur,  
non solum discrepare, sed & Calendarii correctores gravis-  
simorum errorum audacter postulare cœperunt, non obstante ana-  
thematis pœna, sub qua Calendarii receptio omnibus demandata  
est in d. Bulla Gregor. XIII. §. Nulli ergò. in verbis: si quis au-  
tem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI ac  
beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Plura  
ut de Justitia hujus recentioris Calendarii referamus, nostri non  
est instituti. Rationes, quibus Astronomi istius dissuaserunt rece-  
ptionem, ex ipsorum scriptis & Strauchii Dissert. de Comput. Gregor.  
tufius patent. Leges ordinis suadent, ut de receptione utriusque  
jam agamus Calendarii.

#### CAP. IV.

### De Receptione utriusq; Calendarii.

Cum secundum superius dicta Pontifex Gregorius XIII. anno  
1581. hoc suum novum condiderat Calendarium, publicoque  
diploma-

XIX.  
Divisio Ca-  
lendarii.

XX.  
Judicia de  
novo Calen-  
dario.



I.  
*Receptio  
Calendarii  
Gregoriani  
in Gallia &  
Belgio.*

II.  
*Ad Rudol-  
phum II. Im-  
perat. quoq;  
transmis-  
sum est.*

II.  
*Electo Sa-  
xoniam Au-  
gustum vari-  
as ob causas  
Calendario  
se opposuit.*

diplomate in toto Christianorum orbe recipiendum mandaverat, cæteroquin verò maximè commendaverat, in tentandis Regnis Pontificiæ Religioni addictis felicissimus fuit. Testatur namque Thuanus anno 1582. Regem Galliaë edictum promulgasse, quo anni emendationem recepit atque introduxit. Regis æmulatione, ut idem Historicus refert, novus Brabantiaë Dux Franciscus, ut gratiam Pontificis ea re aucuparetur, etiam à Protestantibus in Belgio, Arausianensis interventu, obtinuit, ut ea anni emendatio recipere- tur, quod & in Frisia occidentali plurimisque Provinciis Belgicis factum est. Idem quoque in Germania nostra tentavit Pontifex. Ludovicum siquidem Madrutium, Tridentinum Episcopum, An. 1582. ad Imperatorem Rudolphum II. Comitiam tunc temporis Au- gustæ celebrantem, transmisit, ut eidem & toti Romano Imperio receptionem sui persuaderet Calendarii. Is ad finem Comitiorum cum Statibus de ejusdem promulgatione agere cœpit; sed cum Im- perator Saxoniam Electoris Augusti consilium exquisivisset, glorio- sus ille Elector, communicatis cum Wilhelmo Hassorum Princi- pe consiliis, promulgationi se opposuit; Wilhelmus namque ob prudentiam & animi æquitatem inter Protestantes non solum summæ autoritatis, sed & ob raram in tantæ dignitatis Viro ha- rum rerum peritiam, consultus responderat, non tam de ipsa re consultationem esse, quàm de rei peragenda modo. Ex rece- ptione ejus Calendarii non solum omnis generis difficultates & confusiones in judiciis, historiis, contractibus, aliisque ob- ligationibus, nundinis, solutione censuum, agricultura in om- nibus denique negotiis Civilibus ac celebratione festorum se- cuturas; Sed etiam Cæsaris & SS. Romani Imperii autoritatem in hoc negotio verti, quam cum indies Pontifex dolo ac machinatio- nibus convellere nitatur, non committendum esse, ut ipsi rem ad ejus dignitatem tantopere pertinentem neglexisse videantur. Anni, qui nunc ab omnibus nationibus observatur, rationem à Julio Cæ- sare institutam esse: dein Carolum M. Imperii Germanici Condi- torem & Calendarium ipsum, & nomina mensium Teutonice lingua Germanis dedisse: Canonem quoq; Concilii Nicæni de Pa- schali celebratione non Pontificis Romani, quia ea potestate ac au- toritate, quam nunc sibi vindicat, minimè tunc fuit, sed commu- ni Con-



ni Constantini Cæsaris, qui Synodo præfuit, & Patrum decreto conditum esse. Concilia verò ipsa non Pontifices, sed Imperatores Romanos indixisse (sicut Constantiense Cæsar Sigismundus, recenti adhuc hominum memoria, convocavit) Imò jus constituendi non solum Episcopos in Germania, sed etiam Pontificem Romanum, penes Cæsarem ante & post Caroli M. tempora, usque ad Ottonem I. & deinceps usque ad Gregorii septimi Pontificis ætatem fuisse. Cavendum igitur, ne Calendarii, quod correctione indigere minimè inficias eat, emendandi prætextu, novam & inusitatam Pontifici in Imperii Majestatem, & Cæsarem ipsum, jurisdictionem & mandandi potestatem tribuant: præsertim cum inconsulto Cæsare, & non requisito Imperii Principum & Ordinum consensu, res tanta à Pontifice suscepta sit. Placere igitur, ut ante omnia deliberetur, ad quem anni, quem ab omnibus Nationibus eadem forma recipi, publici commercii maximè interest, emendandi & passim promulgandi jus pertineat, tum de re ipsa, de qua minimè cum Lilio conveniat, facilem fore disquisitionem. His rationibus ab Hasso instructus Saxo prolixa oratione habita intercessit, & cum nemo Principum aut Civitatum, Augustanam Confessionem amplectentium, Calendarium novum in Germania recipere vellet, negotium hoc distulit Cæsar & veterem formam, hætenus in Camera judicis usurpatam, eo anno servari mandavit. Thuanus *lib. Histor. 76. Chytræus in Chron. lib. 25. pag. 764. Vid. Stephan. de Jurisd. lib. 2. p. 1. c. 1. membr. 2. n. 107. it. lib. 3. p. 1. c. 3. num. 45. Limn. de jur. publ. lib. 1. c. 13. num. 57.* Tandem tamen anno subsequenti 1583. non solum à Cæsare, sed & aliis Imperii Statibus Pontificiæ Religioni addictis Calendarium hocce Gregorianum approbatum & receptum, Silesiæque, Patriæ suavissimæ, ab invictissimo Rudolpho II. Anno 1584. ut eodem uteretur, injunctum fuit, prout notavit Gualther. *in Chron. Ecclesiastico-Politic. sub Anno 1584.* Rationes, propter quas hocce novum admiserint Calendarium, recenset Edictum Rudolphi I. Imperatoris de dato 15. Septemb. Anno 1583. In *Stadtyflegger / Burgermeister und Rait der Stadt Augspurg wegen Gebrauch des neuen Calenders /* ubi inter alia hæc reperiuntur verba: *Nachdeme sich bishero im Alten Calendario / so wohl der Fest als auch der Jahrzeit / und anders halber*

IV.  
*Receptio  
differtur.*

V.  
*Tandem re-  
ceptum est  
Sarsi in lo-  
cis etiam in  
Silesia.*

VI.  
*Ratio re-  
ceptionis.*



Halber allerley Mängel befunden / derowegen dann ohnlängst / nicht  
allein mit unserm Vorwissen / sondern auch nicht weniger auf etli-  
cher unserer / als anderer Christlicher Potentaten und Herrschafften  
fürnehmen Mathematicorum fleissiges Nachdencken und Gutach-  
ten / ein neues Calendarium verfasst / und von ihnen / als derselben  
Sachen Verständigen / einhelliglich für gut / auch die vorherührte  
Mängel wieder ab / und alles in ein beständige immerwährende Rich-  
tigkeit zu bringen / für nothwendig erachtet worden. Und den hier-  
auff weiter erfolgt / daß erschienen 1582. Jahrs solch neu Calen-  
darium hin und wieder / und nicht allein in Italien / sondern andern  
neben nicht der geringsten Christlichen Nationen / Königreichen und  
Landen publicirt und ins Veret gerichtet worden / auch nunmehr  
als nehmlich Franckreich / Engelland / Schottland / Irland / auch  
den Staaden in Holland / *rc. it.* in Ungarn / Böhmen / Mähren / un-  
gehindert / deren zum Theil unterschiedlichen Religionen üblich / ge-  
brauchet wird. Et paulò post : Wir befinden je länger je mehr /  
nachdem berührtes Calendarium (novum sc.) bey den vorben-  
ten Potentat- und Herrschafften / mit denen Teutschland / so wohl  
auch unser Königreich und Landen / ihre fürnehmste Handthierung  
und Rauffmanns-*Gewerb* haben / in üblichen Gebrauch kommen /  
daß die ungleiche Haltung desselben Calendarii. in viel Weg / sonder-  
lich auch der Märckt / Wechsel und Zahlung / Rechts- und Gerichts-  
Handlungen halben / fast grosse Confusion und Unrichtigkeit verur-  
sachet / also daß / wo es länger in dem Stand verblieben / und im H.  
Reich / auch in unsern Königreichen und Landen / das alte Calenda-  
rium noch ferner / wie bishero gebraucht werden solte / solche Unord-  
nung von sich Tag zu Tag beschwerlicher erzeigen würde / und  
dasselbe umb so viel mehr / daß allbereit etliche fürnehme des Reichs  
Fürsten und Stände / Geist- und Weltliche das neue Calendarium  
in ihren Fürstenthümen / Land und Städten angericht / und zweif-  
fels ohn noch anrichten werden : Dahero dann erfolgt / daß in den  
nechst aneinander gelegenen Gebieten / ja wohl etwan in einem Fle-  
cken / da es unterschiedliche Herrschaffter. hat / neben anderer bes-  
chwerlichen Ungleichheit / nicht allein die hohe Fest / sondern auch die  
Sonn- und gemeine Feuer-*Täg* / unterschiedlich / zu mercklicher Zer-  
rüttung des gemeinen Wesens gehalten worden. Wann nun deme  
also /



also / und mehrberührtes Calendarium, neben dem / daß es seine ra-  
 tiones Mathematicas hat / anders nicht / denn für gut / nützlich und  
 notwendig / kan angerichtet werden ; So haben wir / 2c. Quo  
 felicior verò Pontifex fuit in Regnis Catholicæ religio-  
 ni addictis, eò difficiliùs ipsi cessit negotium quoad alios. Exoti-  
 cis quidem orbis Christiani incolis hoc suum itidem conatus est  
 obtrudere Calendarium, sed parum obtinuit. Missa lega-  
 tio ad Patriarcham Constantinopolitanum Orientalibus Ecclesiis  
 illud ipsum obtulit, cum verò hic communicasset consilium cum  
 aliis Patriarchis, & id planè recusasset, irritò conatu discedere co-  
 acta fuit, teste Philipp. Nicol. *in tract. de Regn. Christ. lib. 1. c. 1.*  
*p. 35. § 36.* Idcirco retenta ibidem est antiqua forma, neglecta  
 Gregoriana emendatione, ut testatur Christoph. Angelus *in tract.*  
*de stat. § rit. Eccles. Græc. c. 42.* Protestantes quoque in Germa-  
 nia ejus receptionem planè recusarunt, neque etiam sine justis atq;  
 gravioribus causis. Ut enim silentio prætereamus rationes tum  
 Theologorum, quod cum libertate Christiana & Apostolica pu-  
 gnet, Nos à Pontifice in diebus festis judicari, tum Astronomorum,  
 qui prolixè demonstrarunt, adversus motus Astrorum leges multi-  
 fariam errasse correctores, quod & Clemens VIII. *in Bulla tom. 5.*  
*operum Clav. præfixa,* sequentibus testatur verbis : *Nec mirandum*  
*est, quod Cyclus nostrarum Epactarum in dies Calendarii distributus,*  
*interdum in Noviluniis ac lunis XIV. Paschalibus non omninò cum mo-*  
*tibus cælorum consentiat, cum hoc in omni Cyclo necessario obveniat*  
*satisq; sit, quod error hic, qui vitari nequit, multo rarior deprehendatur*  
*in novo hoc Calendario, quàm in ullo alio.* Sufficiant nobis hac vice  
 rationes Politicæ ; Præter hoc namque, quod novum Calendarium  
 mendis suis laboret, & hucusque contra canones Calendarii Eccle-  
 siastici peccaverit, dum non sine ingenti scandalo Pascha juxta Ca-  
 lendarium novum plus simplici vice unà cum Judæis & hæreticis  
 Quartidecimanis celebratum est, contra mentem Patrum  
 Concilii Nicæni, qui hoc vehementer detestati sunt. Reinking. *de*  
*R. S. § E. lib. 3. Class. 1. c. 2. num. 42.* rectè judicarunt Protestan-  
 tes, ex hoc Calendario non solum difficultates & confusiones in ju-  
 diciis, literis contractuum & obligationum aliisque negotiis civili-  
 bus, verum etiam in celebratione feriarum secuturas, quod ipse  
 quoq;

VII.  
*Græci reci-  
 pere recu-  
 sarunt.*

VIII.  
*Uti & Pro-  
 testantes in  
 Germania  
 ob vitia 1.  
 Theologica.*

2. Mathe-  
 matica.

IX.  
 3. Politica.



X.  
Et propter  
Personam, tam  
quam causam  
Efficientis,  
inhabilitatem,

XI.  
Exceptio  
Pontificiorum  
a Julio Casare  
desumpta.

quoq; Gloriosissimus Imperator Matthias deprehendit, quare in Comitibus Ratisbonensibus proposuit: Daß die gedoppelte Ferien und Calendar/dannhero die grosse Unordnung/so wohl in Camera als sonst im Heil. Reich / so wohl wegen der Commercien und anderen erfolget / abzustellen / ut refert Meurer. in Relat. de Anno 1613. Nund. autumn. in proposit. Caesar. §. Darneben begehren Ihre Mayestät. Porro certum est, quod in quolibet actu perficiendo primum inspiciendum, an personæ ad actum illum celebrandum idoneæ sint. l. 4. ff. qui testam. fac. poss. ibique Bartol. unde pro regula traditur in quovis actu tria præcipuè considerari: Facientis potestatem, ejusdem voluntatem & justam causam ac formam, arg. c. cum semper 23. X. de off. & potest. jud. deleg. Donell. 6. Comment. Jur. Civ. c. 26. in princ. quæ tria semper in quovis actu copulativè concurrere debent, quia sine potestate nihil in actum deducitur, sine voluntate nihil consensu perficitur, sine forma & modo nihil in finem dirigitur. Bald. vol. 1. Consil. 376. num. 2. Jam potestas feriarum constituendarum & mutandi vel restituendi Calendarii ad Imperator. & potestatem secularem pertinet. l. 4. C. de fer. Rein-king. de R. S. & E. lib. 3. class. 1. cap. 2. num. 4. unde & feriae Imperiales appellantur in d. l. 4. C. de fer. ergo non ad Pontificem, & consequenter deficit personæ habilitas, ut actus ipse corruat, quia persona inhabili existente, radix totius negotii censetur vitiosa, isteque defectus, tanquam causæ & principii, postea nullo alio subsequuto actu remotus & sublatus intelligitur. Ruding. in repetit. l. 1. §. si quis ita, de verb. oblig. num. 48. Excipiunt quidem Pontificii, Julium Cæsarem Calendarium non Imperatoria, sed Pontificia immutasse autoritate, unde concludunt, ad Pontificem Romanum spectasse Calendarii ordinationem, ideoque Gentes ratione naturali, Christianos verò ab ipsis Apostolis primisq; primitivæ Ecclesiæ Patribus edoctos, curam hanc Ecclesiastico Magistratui demandasse. Sed quamvis negari nequeat, Cæsarem quoque Pontificia polluisse dignitate, non tamen exinde statim sequitur, quod fastos autoritate Pontificia correxerit, imò potius testantur Historici conversum ad Reipublicæ statum fastos correxisse, quare Cæsar illos adornavit, ut Reipublicæ Director, non ut sacrorum Gentilium Curator. Fatemur quidem, intercalationem annuam ad mu-



ad munus spectasse Pontificum ; Sed Calendarii omnimoda im-  
 mutatio ipsis tribui nequit. Quinimò ex antiquitate Romanorum  
 patet, quod solis Regibus hæc reservata fuerit cura, quapropter  
 non solummodò Romulus decimestrem annum Regia autoritate  
 primis urbis incolis proposuit, sed & Numa Pompilius duos men-  
 ses addidit; Similiter de Augusto constat, correxisse eum vitia ab in-  
 tercalatoribus in anno Juliano commissa, Sextilem quoque men-  
 sem Augustum ex suo nomine nominasse, quæ omnia Dio Cass.  
 Sueton. Macrobius & alii prolixius recensent. Constantinus aliive  
 Imperatores diei Dominicæ & multarum feriarum celebrationem  
 introduxerunt. Carolus denique M. Imperii Germanici con-  
 ditor & Calendarium ipsum & nomina mensium Germa-  
 nica teutonicis populis dedit. Arum. *de Comit. c. 4. n. 65.* Imò, ca-  
 nonem Concilii Nicæni de festo Paschatos, non Romani Pontifi-  
 cis, sed comuni Imperatoris & Patrum consilio conditum esse, cer-  
 tum est. Chytr. *in Chron. lib. 26.* Pertinent huc elegantissima ver-  
 ba nostri B. Lutheri, qui in tom. Jenens. de correctione Calendarii  
 suscipienda ita differit: *Das ist die ganze Haupt-Frage/darauff der  
 Streit beruhet / denn man fraget nicht/ob es recht oder unrecht sey/  
 daß man bishero obberüchtlichen Calender reformire und ändere/  
 sondern wer es thun soll / als nemlich die Mayestäten / Kayser / Könige /  
 2c. Zum andern müste es geschehen einträchtiglich / daß ein  
 Gebot überall außginge von denen/so es Befehl haben/sonsten wo es  
 ein Land ohne das andere anfienge/die Weltliche Handel/als Jahr-  
 märckte/Messen und andere Geschäfte / in eine wüste Verwirrung  
 geriechten.* Et hoc ipsum cum sacris convenit literis. Sic constat,  
 quod DEUS ordinationem Festorum non per Aaronem summum  
 Sacerdotem, sed per Mosén Magistratum Populo Judaico denun-  
 ciaverit. *Levit. 23. vers. 1. & seq.* Item quod Rex David festos dies  
 ritè celebrandos ordinarit. *Eccles. c. 47. vers. 12.* Quod si jam in-  
 stitutio feriarum ad Majestatica jura juxta hætenus dicta & l. 4. C.  
*de fer.* ibique Brunnem. refertur, facultatem ferias indicendi, vel  
 mutationem circa dies prius ipsis destinatos inducendi, rectè  
 denegarunt Pontifici Protestantes, uti testatur Dn. Struv. *Ex. 5.*  
*th. 36.* Ponamus quoque, sed citra præjudicium veritatis, ad curam  
 sacrorum hanc temporum observationem & Calendarii correctio-

XII.

*Intercala-  
tio specta-  
vit ad mu-  
nus Ponti-  
ficum, non  
Calendarii  
immutatio.*

XIII.

*Verbis Lu-  
theri illu-  
stratur.*

XIV.

*Institutio  
Feriarum  
ad Majesta-  
tem per-  
tinet.*

XV.

*Jura quoq;  
sacrorum  
Imperato-  
res exercu-  
erunt olim.*

F



nem pertinere, tamen nec hoc Pontificiorum sublevare poterit causam, cum historia Ecclesiastica fufius doceat, Imperatores, postquam Christianam professi sunt religionem, nemine Episcoporum improbante, quin potius omnibus factum collaudantibus, curam exercuisse sacrorum, ut Socrates *de Regim. Eccles. sub Christian. Imperat. in præfat. lib. 5. Histor.* asserit in verb. *Ex quo Christianismum profiteri cœperunt Imperatores, res Ecclesiæ ab ipsis pependunt, & hoc duravit usq; ad tempora Gregorii VII. Pontificis, qui jura sacrorum Heinricho IV. extorquere incœpit, qua de re, ne præter intentionem prolixiores simus, evolvi potest Dn. Præsidis Tractat. de Jurib. Templor. c. 4. de Protect. & Cur. Templor. num. 21. & seq. ubi hæc omnia ex historia Ecclesiastica declarantur.* Quamvis itaque

XVI.  
Hodie Status  
Protestantes.

sacrorum curam, quæ ab initio penes Imperatores & Reges fuit, cum universa jurisdictione Ecclesiastica, Pontifices ad se transtulerint, eamque in territoriis Principum Catholicorum adhuc detineant; Tamen nebulis Pontificiæ impositionis depulsis, ac repurgata Christiana doctrina, Principes & Status Protestantes Jurisdictionis Ecclesiasticæ & religionis, quasi postliminio, recuperarunt curam. Brautlach. *Epit. jur. publ. lib. 5. c. 1. §. 7.* ut nova quasi, ceu nunc apparet, jurisdictionis Ecclesiasticæ refulserit facies, quæ plenissimè per Passaviensem Transactionem *de anno 1552.* & mox insecutam Religionis Pacificationem *de anno 1555.* ut & *Pacif. Osnabrug. art. 5. §. 1. & 16.* confirmata, sicque Jurisdictio Ecclesiastica Pontificiorum in ditionibus Augustanæ Confessioni Addictorum suspensa, e contrario verò Principibus & Statibus Imperii Evangelicis restituta est. Quare & ex hoc principio, ne violationem Pacis religiosæ inducerent, & suspensioni jurisdictionis Ecclesiasticæ vim inferrent, de qua in *Comit. Imper. de anno 1559. §. Nachdem aber / vers. daß ein jeder Theil bey seinen Ceremonien / Ordnungen / und Herkommen richtig gelassen werden soll /* Protestantes Gregorianum recusarunt Calendarium; Sicque (1.) propter inhabilitatem constituentis, (2.) Magistratus violationem, (3.) confusionem temporum, (4.) violationem Pacis religiosæ multis laboribus & difficultatibus erectæ, denique (5.) propter odium dominationis Pontificiæ & veritatis confessionem hocce novum Calendarium rejecerunt, & adhuc ejiciendum esse putant Ecclesiæ Evangelicæ Status.

XVII.  
Causa, cur  
Protestantes  
Calendarium  
Gregorianum re-  
cusaverint,  
brevisiter e-  
narrantur.

rejecerunt, & adhuc ejiciendum esse putant Ecclesiæ Evangelicæ Status.



Status. Imò hæ & similes rationes effecerunt, quod ne quidem ab initio, ad Pontificis postulata, statim Cæsar novum introduxerit Calendarium, ut testatur Gail. in quadam Epistola ad amicum Augustanum scripta, quæ habetur apud Tilemann de Benignis Cent. 2. *Observ. Cam. p. 125.* his verbis: Mit dem neuen Calender/2c. Es haben die Kay. Mayestät/Chur-und Fürsten/auff des Pabsts Begehren/den nicht halten noch annehmen wollen. Et paulò post: Wan man eine durchaus gehende Gleichheit allenthalben im Reich anrichten wolte / muß solches mit Vorwissen und Verwilligung der Kayserl. Mayestät und Ständen geschehen. Quinimò, licet postmodum cum Imperatore multi quoque Imperii Cives idipsum receperint, hoc tamen non ideò fecerunt, ac si subditi Pontificis esse, ejusque jugum agnoscere vellent, sed ut Magistratui morem gererent, quemadmodum contra hoc apud Augustanos Ministros Evangelicos ex suggestu publicè protestatos esse, refert Chytr. *lib. 76. Chronic. pag. 763.* Sicq; demùm obtinuit illa scissura, ut novo Calendario utantur Catholici & nonnulla quoque Evangelicæ Religionis membra; Veteri verò plerique Augustanæ Confessionis Status. Qua ratione non solum in Comitibus aliisque Imperii conventibus feriæ secundum utrumque Calendarium, magno sæpius negotiorum publicorum cum impedimento, celebrantur. Dn. Fritsch. *in man. jur. publ. lit. C. pag. 74.* Sed & in Camera die 14. Jul. anno 1583. conclusum: Daß der alte Calender in Ausbringung der Processen solle gebraucht werden. Autor. *Decis. siv. præjud. Camer. sub verbo Calendarium.* Itaque in exhibendis supplicationibus, dandis decretis, expediendis processibus & documentis, signandis productis & computandis terminis, cæterisque actibus judiciariis semper dies Veteris Calendarii in Camera apponitur, ex inveterata consuetudine. Similiter in causis appellationum narrata supplicationis & formalia secundum Verus Calendarium justificanda, & in margine annotanda sunt. Quoad ferias autem utrumque Calendarium, itidem non sine levi jactura & dispendio temporis, observatur, teste Blum. *in Process. Cameral. Tit. LXII. num. 4.* Idem in locis diversæ religionis contingit. Sed cum duplicis Calendarii usus varia habeat incommoda, & ingentes in Germania excitavit, & adhuc excitet turbas, juxta Blum. *in Process. Cameral. Tit. 62. §. 2.*

XVIII.  
Penes quosdam Calendarium Gregorianum cum protestatione receptum est.

XVIII.  
In Imperio duplex observatur Calendarium, ut & in Camera.



**XIX.** Ideòq; sæpiùs de utroque Calendario concordando deliberatum, resque non modo in nuperrimis juxta *Recess. J. de anno 1654.* *Deliberationes de concordando Calendario suscepta sunt.* *J. Ob auch wohl.* Sed & durantibus Comitibus tentata est, variis componendi modis propositis. Effectu tamen hucusq; caruit, atque forsitan caritura est, ut concordatio, dum neuter alteri cedere cupit, vix speranda veniat. Juxta mentem Blumii *in Process. Cameral. d. tit. 62. num. 3.* res forsitan feliciorum sortiretur exitum, si utroque Calendario cassato, planè novum conficeretur, & quidem ita, ut quemadmodum Julius Cæsar fecit, primus dies Januarii collocaretur in Bruma, id est, brevissimo totius anni die, nim. 12. (21.) Decembr. quo Sol Capricornum ingreditur, & ad nos se convertit. Ac deinde, sicuti dies ex sex horis ultra 365. dies quotannis restantibus, emerfus, quovis quadriennio Mensi Februario intercalatur, ita quoque dies ex minutis in super remanentibus, & idem plus minùs singulis centum annis conficientibus adimpletus, eodem quoq; modo intercalaretur. Hoc pacto, etiam si mundus adhuc per centum centies millia annorum duraret, Calendæ Januarii nunquam ex præmemorata Bruma dimoverentur, & festa singulis annis eodem tempore celebrarentur. Posset etiam agi cum exteris, quo hoc Calendarium in tota Christianitate reciperetur. Hactenus Blumius. Vid pluribus de hoc negotio M. Wolfgang. Bachmeyers *Calender-Vereinigung.* allegat. à Burgold. *in Notit. rer. Imper. p. 2. d. 20. num. 16.* ubi in præfatione laudat Dn. Jacobi Elrodii, Culmbacensis Franci, gedruckten Confirmations- und Mittel-Calender / qui prodiit anno 1659. als einen wohlgegründeten / und zu bevorstehender Reichs-Vergleichung / sehr dienlichen Tractat / darinnen beyde Calender verbessert / von ihren Fehlern liberirt, und endlich gar miteinander vereinigt worden. Add. *Speculum Temp. Civ. ejusque cap. 8. Excell. Dn. Weigeli,* ubi accuratissima huc facientia proponuntur. Sed hæc judicia nostra non facimus, verum accuratiori relinquimus scrutinio, & sub fine hujus cap. sequentes annectimus quæstiones: (1.) Si ferix in diversis locis discrepent, quasnam Iudex observare teneatur? *Quasnam Iudex debeat observare ferias.* Ferias Iudicis observandas esse, statuit Gail. 2. *Observ. 123. num. 3.* Verum inquit Frantzkius *ad ff. Tit. de fer. num. 27.* ut hoc, si una saltem religio vigeat, cui Iudex addictus est, rationem habere



bere videatur, si tamen diversitas Calendariorum vel Religionum  
permissarum, unde diversitas feriarum pendet, supponatur, u-  
triusque Religionis ratio habenda est, cum facile fieri possit, ut  
dies termini, ad quem citatus est sive Actor sive reus, qui Judici  
non est feriatas, illi fastus, imò forte Paschalis sit, vel sine periculo  
conscientiæ aut præjudicio religionis concessæ, profanari nequeat,  
*l. 13. Cod. de Judic. Dn. Struv. Exerc. 5. th. 36. (2.)* Quæ-  
ritur: An Magistratus salva conscientia, si à Superiore cogatur,  
recipere possit Calendarium novum? Si Superior propter ratio-  
nes politicas, non verò dominium Pontificis, hoc urgeat, & recu-  
santibus extrema quoq; minetur, melius erit parere, quam resistendo  
rebellandi occasionem præbere, vel Reipublicæ salutem in discrimen  
vocare, quia à Theologis neutiquam inter fidei articulos, sed  
inter adiaphora potius refertur festorum & dierum mutatio & e-  
mendatio, juxta Augustini regulam: *Quod neq; contra fidem, neque  
contra bonos mores injungitur, indifferenter habendum est, c. illa au-  
tem 11. dist. 12. si scilicet injungatur ut Politicum.* Nam aliàs  
adiaphorum, si urgeatur, desinit esse adiaphorum, juxta Theolo-  
gorum canonem, præcipuè si opinio cultus ac necessitas Christiã-  
næ libertati contraria accedat. Quapropter si Superior receptio-  
nem, ut mere politicam urgeat, non tam propter autoritatem  
Pontificis, quàm Magistratus, qui hanc operam Pontificiam suam  
facit, approbatione & consensu, ei que robur & validitatem addit,  
salva conscientia recipi potest. Sicque alias Nationes, ut Anglos,  
Helvetios & Belgas hoc Calendarium Gregorianum, quamvis  
Pontificis domini jugum jam dudum excusserint, suarum rerum-  
publicarum usibus destinasse videmus; Silesiam quoq; universam,  
cujus tamen magna pars Augustanæ Confessioni hætenus addi-  
cta fuit, jussu Rudolphi II. id recepisse, superius monstravimus.  
Quod si verò fucus subsit & non tam Calendarii mutatio, quàm  
mutandæ religionis quæraturs occasio, aliud obtinere, cautiusque  
procedendum esse, non sine ratione monet Reinking.

*de R. S. & E. libr. 3. Class. 1. c. 2. num. 34.*

*& sequent.*

F 3

CAP.

XXI.  
*Si Superior  
urgeat, an  
novum Ca-  
lendarium  
recipien-  
dum sit?*



# C A P. ULT.

## De Usu Calendarii in genere.

I.  
Usus Ca-  
lendarii in

II.  
Ecclesia-  
sticus.

III.  
Quare Fe-  
ria Calēda-  
rio inscri-  
pta, &  
quando.

IV  
Festa mo-  
bilia.

SPectata utriusque Calendarii receptione, usus ultima vice Calendarii generalis adjiciendus est. Nolumus hic varia anxie conquirere, sufficiat dixisse, licitum illum esse vel illicitum. Licitus magnus in *Ecclesiasticis, Politicis & Oeconomicis* est. *Ecclesiastica* quod concernit, festa omnia Calendarium, dies Dominicos, sacras denique & honorarias ferias celebrare, suo destinato tempore docet. Servire enim DEO, cui servire libertas est, omni quidem tempore, maximè tamen diebus sacris & Dominicis debemus, quod etiam lex Allemanorum, quæ temporibus Lotharii unà cum Episcopis XXIII. Ducibus XXXIV. & Comitibus LXXII. constituta dicitur, satis innuit, in cujus *Tit. 39.* sequentia leguntur: *Die Dominico nemo opera servilia præsumat facere, quia hoc lex prohibuit, & Sacra Scriptura in omnibus contradicit. Si quis servus in hoc vitio inventus fuerit, vapulet fustibus, liber autem corripatur usq; ad tertiam vicem: Si autem post tertiam correptionem in hoc vitio inventus fuerit, & Deo vacare die Dominico neglexerit, & opera servilia fecerit, tunc tertiam partem de hereditate perdat. Si autem super hac inventus fuerit, ut diei Dominico honorem non impendat, & opera servilia fecerit, tunc coactus & convictus, coram Comite, ubi tunc Dux ordinaverit, in servitium tradatur, & quia noluit Deo vacare, in sempiternum servus permaneat.* Sicque, ut feriæ institutæ in notitiam omnium perveniant Subditorum ac justo celebrentur tempore, Calendaris inferi cœperunt. Qua ratione hoc contigerit, optimè explicat Excell. noster Weigelius in *Spec. Temp. Civil. c. 7. §. 1. & 2.* ubi tradit, olim quidem ad Ecclesiasticum insimul officium spectasse feriarum singulis annis celebrandarum computationem, sed inventa Typographia & Calendaris hodiernis conscriptis, hoc ita delisse, ut jam omnes in cognitione festorum ad Calendarii confugiant evolutionem. Cæteroquin quænam sint festa, in *l. 2. l. 7. §. 1. ultim. C. de fer. enumerantur. Umm. Diss. ad Proc. 7. thes. 8. numer. 33.* Omnia vel mobilia sunt vel immobilia. Mobilia dicuntur, quæ eundem diem



diem mensis non observant, & non rarò diversis annis aliquot septimanas prævertunt, tale Festum est Pascha. Fundamentum horum festorum exhibent Scriptores apud Frantzck. *Tit. de fer. n. 14.* citati. Immobilia verò sunt, quæ constanter & perpetuò diem mensis servant, eamque literam; cui semel in Calendario adscripta sunt, retinent. Frantzck. *d. l.* Porrò feriæ sunt vel ordinariæ, vel extraordinariæ, quæ pro re nata indicuntur & repentinæ vocantur *in l. 3. C. de dilat.* Hilliger. ad Donell. *lib. 24. c. 7.* Ea quæ de sanctificatione Sabbathi & festorum aliàs notanda veniunt, fusius proponit Balduin. *in Cas. consc. lib. 2. c. 13. c. 1. & seq.* Osiand. *in Dissert. de Sabbath. Sanctific.* & *in not. ad Grot. lib. 1. c. 1. §. 17. observ. 4 per tot.* In Politicis ad dierum fastorum & nefastorum, judicialium & extrajudicialium cognitionem multum conferre Calendarium, nemo sanæ mentis negabit. Quid fasti fuerint dies vel nefasti apud Romanos, partim ex supra dictis, partim etiam ex *Rosin. A. R. lib. 4. c. 3. per tot.* pater. Erant quoque Romæ dies intercesi, & feriæ quasi mixtæ, sacris & humanis actibus destinatæ, ac communes, quibus post sacra peracta litibus vacare licebat. *Macrob. l. 1. Saturnal. c. 16.* quibus hodiè affines sunt dies rogationum & supplicationum semiferiati, & in nonnullis locis festa Apostolorum, tametsi ad extraordinarias potius pertineant ferias. Hillig. ad Donell. *lib. 24. c. 7. lit. N.* Aliàs quinam dies judiciales & extrajudiciales sint, universaliter determinatum non est, sed ex consuetudine cujuscunque Curiæ æstimandum venit. Dies feriatis Camerales exactè recenset *Blum. in Process. Cameral. tit. 62. §. 5. & seq.* Sic quoque Noribergæ haut ita pridem prodiit Calendarium judiciale, omnes judiciales & extrajudiciales quorundam obvenientes demonstrans dies. Aliter tamen dies Juridici, aliter extrajudiciales computantur. Dies namque juridici à manè ad vesperam usque durant, propterea quod regulariter jurisdictio, nisi interdiu, exerceri nequeat. Hinc neque Actor neque Reus emanens contumax habendus, nondum audita hora quarta pomeridiana, tota namque dies citato cedit, teste *Fibig. in Process. p. 1. c. 2. membr. 3. §. 4.* Extrajudiciales verò à media nocte incipiunt, & sequentis noctis media parte finiuntur, adeoque constant ex duabus dimidiatis noctibus & media luce. *l. 8. ff. de fer. ubi vid. quæ latè*

*Fest. immo-  
bilia.*

V.

*Usus Calē-  
dar. in Po-  
liticis.*

VI.

*Dies judi-  
ciales pro  
diversitate  
locorum va-  
riant.*

VII.

*Diversa cō-  
putatio die-  
rum judica-  
lium & ex-  
trajudicia-  
lium.*

anno-



VIII.  
Dies Ci-  
vilis.

IX.  
Ejus partes.

X.  
Dies Na-  
turalis.

XI.  
Discrimen  
horum die-  
rum.

annotavit Gothofred. *innot.* Et ita computationem non solum in contractibus *l. 20. C. de transact.* sed & in aliis negotiis fieri debere, cum Welsenbec. *in Comm. ad C. tit. de fer.* adserit Frantzck. *ad ff. tit. de fer. num. 21. § 22.* Ad hanc diversam computationem spectat, quod in Jure nostro alius dies *Civilis*, aliàs *Naturalis* dicatur. *Civilis in l. 8. ff. de fer.* proponitur, hunc ante horarum inventionem alii ab ortu Solis, alii ab occasu incipiebant. Cujac. *libr. 15. observ. 32.* quod posterius etiam Pontifices Romani receperunt *in c. 1. § 2. X. de fer.* Romani verò, quibus magis disciplina militaris, quam orbium cœlestium consideratio curæ erat, militari quadam ratione à media nocte, tanquam à prima militari vigilia, inchoabant. Polyd. Vergil. *de invent. rer. lib. 2. c. 5. § 6.* Media itaque nox dicebatur vigilia, deinde erat Gallicinium, post diluculum sive aurora, deinde mane, meridies, occasus, vesper, in tempestiva nox sive concubium &c. Sicut ergò ab urbis exordio in acie & castris hæc diei obtinebat consideratio, ita etiam in urbe, rei militaris intuitu recepta est, ut ipsa quidem lege dies pro individuo militari more haberetur, sed accidens tantummodo lucis & noctis agendorum ac omittendorum tempus constitueret. Cum itaq; in individuis nec prius nec posterius dari possit, obtinuit responsum *in dict. l. 8. ff. de fer.* propositum; quod illud, quicquid aliqua hujus diei parte factum, qualibet ejus diei parte factum esse dicatur. Contra *naturalis* dies est spatium inter solis ortum & occasum, vel tanta pars diei *Civilis*, quanta sol supra horizontem ejus regionis commoratur. Cujac. *d. libr. 15. observ. 32.* Et hic *naturalis* dies artificialis vocatur. Jason. *ad d. l. 8. ff. de fer. § dilat. n. 1.* nec immeritò, ut demonstrat Gædd. *ad l. 2. §. 1. de V. S. num. 19.* *Naturalis* diei usus & effectus occurrit *in l. 3. §. minorem. 3. ff. de minor. l. qui bona 23. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 6. ff. de oblig. § act. ut & in diebus festis & juridicis; Civilis vero in l. 8. ff. de fer. l. 6. ff. § l. seq. ff. de usurp. ac. usucap. l. à qua etate. 3. ff. q. testam. ta fac. poss. l. 1. ff. de manum. l. ita vulneratus. 51. vers. estimatio. ff. ad L. Aquil.* *Civilis* inceptus pro completo habetur, *naturalis* non; *Civilis* sine momento à die in diem numeratur, ac totus computatur, licet nondum exactus sit, *naturalis* verò stricto modo à momento in momentum non totus, nisi penitus exactus sit, com-



computatur. Civilis in iis, quæ ad jus & leges spectant civiles, potissimum consideratur. Naturalis in iis, quæ ad factum naturalemque æquitatem pertinent, juxta *cit. text.* Vid. Gædd. *dict. l.* Præter hos dies datur etiam intercalaris, qui quarto quoque anno Calendario Juliano inseritur, juxta antea dicta, & hic dies modo civiliter, modo naturaliter consideratur. Gædd. *ad l. 98. ff. de V. S.* Quare quod in *cit. l. 98. de V. S.* dicitur: *id biduum pro uno habetur die*, procedit in causis ac rebus civilibus, in quibus non à momento in momentum, sed civiliter & *ἐν πλάτῃ* tempus computamus, quod præter usucapionem, juxta *d. l. 6. § seq. ff. de usurpat. § c.* contingit in honoribus & muneribus *l. 8. ff. de muner. § honor.* in L. Jul. & Papia, si de anniculo vel nuptiis quæeratur, *l. 4. ff. de rit. nupt. l. 132. § l. 134. ff. de V. S.* aliisq; negotiis, de quibus *text. antea citat.* loquantur. Secus est in iis, quæ facti & solius naturæ sunt, in his enim tempus à momento in momentum computatur, ut necesse sit, ultimum etiam momentum diei intercalaris præterisse. *d. l. 3. §. 3. ff. de minor.* Vid. Gædd. *ad d. l. 98. num. 9.* ubi obstantia removet. Denique quia in omnibus contractibus, instrumentis & negotiis forensibus annus, mensis ac dies sunt addendi, ideòque Calendario, quod Civilem aliàs vocant librum, nullum imperium, nulla Respublica, nulla civitas, forum nullum carere potest. Licet enim *l. 1. §. 2. de edend. instrumenta sine die & Consule edenda esse jubeat*, ne quid in fraudem prolato die fiat, i. e. ne quis cognito die aliud instrumentum falsum conficiat, quasi hoc prius esset. Cujac. *lib. 3. Observ. 7.* Bus. *ad dict. l.* Dies tamen in ipso instrumento quam maximè necessarius est, aliàs id ipsum fide caret. Vid. Eckolt. *ad w. tit. de fid. instrument. §. 6.* Pater quoque inter liberos, absq; ullis aliis disponens solennitatibus, tempus testamenti paterni, & quidem non tantum annum, sed & diem exprimere debet. *Auth. Quod sine C. de testam. ibique Dn. Brunnem. Hartm. Pistor. p. 1. q. 2.* Rationes quoque diem & annum necessario præsupponunt, quia de earum integritate sine diei additione constare nequit. Hillig. *ad Donell. lib. 23. c. 6.* Idem obtinet in apochis & actis judicialibus. Brunnem. *ad l. 1. §. 2. ff. de edend.* Sicq; Calendarii ubivis occurrit usus. In Oeconomicis deniq; cuilibet Patrifamilias ad quamplurima, verbo: ad rerum tuarum dispositionem, ut & agriculturæ & melium inservit tempora, sicq;

XII.  
Dies intercalaris.

XIII.  
Calendario nullus hominum carere potest.

XIV.  
Annus, mensis, dies instrumentis addendi.

XV.  
Usus Calendarii in Oeconomicis.

G

ferias



XVI.  
Quoad feri-  
as, messium  
& vindemiarum, et  
nundinas,

ferias humanas demonstrat, quæ vel propter singularem memo-  
riam, vel etiam propter utilitatem agriculturæ & mercaturæ insti-  
tuuntur. Et quidem memoriæ causa celebrantur dies natales ur-  
bium. *d. l. 7. C. de fer.* Quo referri possunt anni jubilæi Acade-  
miarum & similes, ut Imperatoris, ut & adepti Imperii, *d. l. 7.  
l. ult. C. eod.* Propter agriculturæ utilitatem dies messium & vin-  
demiarum. *l. 1 ff. de fer.* Illi incipiunt de Jare Civili ab 8. Calend.  
Jul. & durant usque ad Cal. August. Hi à 10. Calend. Septembr.  
usque ad Idus Octobr. *l. 2. C. eod.* nisi loci consuetudo aliud effla-  
gitet, quia ob diversam aëris temperiem in omnibus provinciis ni-  
hil certi statui potest. *Bus. ad l. 4. ff. de fer.* Hilliger. ad Donell.  
*lib. 24. c. 7. lit. P.* In Camera dies nefasti sunt tantum ab 8. Jul.  
usque ad 14. August. Vid. *Ord. Camera. p. 2. t. 33. §. von achten. 7.*  
Denique ob mercaturæ necessitatem celebrantur Nundinæ. *l. un.  
C. de nund.* quæ autoritate Principis exercentur. *Umm. Proc. disp.  
7. th. 8. num. 35.* In his omnibus ad majorem rerum suarum dispo-  
sitionem Calendarium sufficientem Patrifamilias suppeditat noti-  
tiam. Et hæc de usu licito.

XVII.  
Uusus illicitus Calen-  
darii

Illicitus Calendariorum usus est, quando Calendariographi  
vel inserunt Calendariis, vel apponunt sub larvato nomine pro-  
gnostica. Enimverò à quo privati autoritate privata Calendaria  
conscribere ceperunt, auguria quoque, primò quidem tolerabilia,  
constitutionem tantum & mutationem temporis concernentia,  
mox, ut carius plebi esset Almanacum, intolerabilia evaserunt ac  
detestanda, quod fufus taxat Excell. Dn. Weigel in *Spec. Temp.  
Civil. c. 7. vom Unfug der gemeinen Calender-Macher.* per tot.  
quorsum Lectorem cupidum remittimus. Neque tamen pro-  
pterea juxta *Baldwin. de Cas. conse. lib. 3. c. 6. c. 2. 3. & 4.* om-  
nes prædictiones, quæ ex astris sumuntur, impiæ ac prohibitæ  
sunt. Prædictiones quidem Astrologicæ, quas supersticiosas  
ac Chaldaicas nominant, meritò reprobantur, quia ex con-  
stellationibus prædiciunt quosvis rerum eventus for-  
tuitos, qualibet occulta & hominibus incognita, ut: penes  
quem sit resurto ablata, quid cras in rebus illis, quæ simpliciter  
libertati hominû subjectæ sunt, futurum sit &c. Quorsum pertinet  
vitiosa dierum electio, cujus tres potissimum sunt species, (1.)

XVIII.  
Prognostica  
omnia an  
sint repro-  
banda?

Hypo-



*Hypocritica* eorum, qui certis diebus & horis existimant preces  
 DEO gratiores fore, qualis in Papatu præcipuè occurrit. (2.)  
*Genethliaca*, cum ex astris certi prædicuntur dies, in quibus ali-  
 cui periculum mortis imminet, quod multi adedò tenaciter ob-  
 servant, ut eum diem inauspicatum prorsus habeant. (3.) *Super-*  
*stitiosa*, quando v. g. nonnulli die Lunæ in aliorum ædibus nul-  
 lum accendunt ignem, die Jovis & Saturni finum (sit venia di-  
 ctis) ex stabulis non exportant, diebus festis infantes non lavant,  
 die Petri nidos gallinis faciunt, quo eo anno fœcundiores sint.  
 Huc pertinent opera impiorum in nocte natalitiorum Salvatoris  
 nostri, ut: quod quidam ex aqua vitro infusa de fortunis suis, mu-  
 lierculæ ex rerum quarundam retrò projectarum qualitate de fu-  
 turis nuptiis conjecturam accipiunt, it. quod nocte, quæ diem An-  
 dreæ præcedit, futurum maritum in somniis videre contendant, ac  
 in nocte, diem Matthiæ præcedente, Matthiam de futuris consu-  
 lant, &c. quæ omnia superstitiosa sunt & impia, & contra pro-  
 videntiam DEI pugnant, ac preces impediunt. Aliud verò ob-  
 tinet in prædictionibus naturalibus, quæ in agricultura, re nauti-  
 ca ac medicina insignem habent usum, & innituntur causis natura-

XIX.  
*Electio di-*  
*erum & elect*  
*Hypocritica*  
*vel Geneth-*  
*liaca vel*  
*Supersti-*  
*tiosa.*

XX.  
*Prædictio-*  
*nes natu-*  
*rales reji-*  
*ciende non*  
*sunt.*

Hinc iste vulgaris versiculus *αεγροσινδς* :

*Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.*

Rubedo matutina plerumq; ventos aut pluvias indicat, rubedo ve-  
 spertina serenitatis testis est. Habent ergò talia prognostica cau-  
 sas suas naturales, ideòque hæc observare planè superstitiosum  
 non est, imò hominis diligentis, ut laudem potius, quam vitupe-  
 rium mereantur. Et hoc de licita quoq; temporum & dierum ob-  
 servatione, ex quibus de fœcunditate aut sterilitate probabilem  
 conjecturam capere possumus, dicendum venit. Est autem hæc  
 observatio triplex, (1.) generalis, cum in re œconomica atten-  
 dimus ad generales partes anni, ut unumquodque suo fiat tem-

XXI.  
*Temporums*  
*observatio*  
*est vel ge-*  
*neralia.*



pore, de hac observatione Ecclesiast. c. 10. vers. 4. dicit: *Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit in aestate, filius confusionis.* (2.) *Occasionaria*, cum occasionem agendi aliquid attendimus. Quanquam enim felix rerum agendarum successus, non à certis quibusdam diebus dependeat, multum tamen cōducit, ut quid fiat in tempore, omni siquidem negotio tempus est & oportunitas. Eccles. 8. vers. 6. (3.) Est electio temporum specialis in re œconomica etiam non prohibita. Experientia enim ex diuturna observatione comprobavit, dies aliquot ad expediendas operas domesticas commodiores esse, ut ex quibusdam futura anni qualitas probabiliter conjici possit. Sic ex serenitate cœli ante solis exortum in die annunciationis Mariæ colligunt rustici temperatam totius anni tempestatem. Huc spectant quoq, usitati versiculi de die conversionis Pauli:

*Vel occasio-  
naria.*

*Vel specia-  
lis.*

*Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.*

Et hæc posteriora sunt ex eorum genere, quæ maximè experientia nituntur, ut quidem plerumq, utrolibet tamen modo se habeant, proinde talia observare peccatum non est, modo certitudinem infallibilem his non tribuamus, quia D E U S tempestatum summus est Moderator & Arbiter, ejus dextra omnia immutare potest.

Illi & nostras concedimus actiones, & pro gratiosa assistentia laudes in perpetuum humillimas sub fine hujus  
Dissertationis offerimus.

## T A N T U M.



Propter abundantiam chartæ sequentia  
Corollaria adjicienda fuerunt.

I.

*Magistratus ferias constituere non possunt.*

II.

*Omnes pie cause in feriis etiam divinis peragi  
possunt.*

III.



III.

*Tempore necessitatis nec die Dominicâ Rusticâ  
quiescere debent.*

IV.

*Die Dominicâ quaestiones & tortura locum  
habent.*

V.

*Etiam die festiva in honorem DEI instituta  
appellatio interponi potest.*

VI.

*Tempore Quadragesimæ criminales cause co-  
gnosci possunt.*

VII.

*Studiosis, die dominicâ studia juridica tractare,  
in legibus permissum non est.*

VIII.

*Feria Rustica omnibus profunt.*

---

Ad Lectorem.

**D**isputationem præsentem, cuius causa impulsiva sola  
dedit Beneficentia, perlegendam & iudicio tuo subji-  
ciendam accipis. Hæc propter mille impedimenta & tem-  
pus præfixum eâ, qua debuit, facie proferre non valuit. Er-  
rata invenies (En habes confidentem reum) quæ demon-



strata apponere penuria temporis prohibuit. Noli tamen  
erratis tantum insidiari, vel bona in deterius flectere, aut  
etiam sinistre de nostro labore judicare. Nasutuli hoc, ast  
non item cordati, facere assolent. Perpende quæso tritum  
illud, certissimum tamen simile: Corvos non nisi cadavera  
quærere. Ita informatus vel voluntatem nostram æqui  
bonique consule. Vale.

---

☉ I. ☉

**E**St miser, atq; fugit *tristes celeresq; Calendas,*  
*Æris quem torquet mutua summa sui.*  
Ast sat felicem, cûi nunc venêre *Calendæ*  
*Lata,* cum *Fastis* Te tua scripta vocant.  
Non æs Te torquet, Themidos sed cura sacrata,  
Splendeat in *Fastis Nomen* ubique, precor!

*Suo Bockio, presentis Dissertationis Autori & De-  
sensori erudito, LL. Cult. solertissimo, hisce  
felicissimas Studiorum Calendas, insimulq; be-  
neficos ex animo apprecari voluit Promo-  
tores*

HEINRICUS Pinck / D.

---

☉ II. ☉

**D**Er Jugend Frühling ist er Fleiß-beimicht gewesen/  
So bringet süsse Frucht des Lebens Sommer-  
Zeit.  
Ja in dem Herbst kan man Belohnungs-Trauben lesen/  
Und wenn den Schnee ins Haar des Alters Win-  
ter streut /

Als



Als an muß derer Saft Erquick und Wärmung geben.  
Kust gleich die Ewigkeit: wird dennoch wol der Ruhm/  
Den Wolverhalten giebt / die kalte Grufft beleben.  
So wird Unsterblichkeit der Jugend Eigenthum!  
Daß von dir Tag un Zeit / mein Freund / wol angewendet/  
Zeigt die gelehrte Schrift von den Calendern an.  
Nim hin was Faust und Herz erfreulich übersendet /  
Ein fröhliches Glück zu! und was man wünschen kan.

Mit diesen geringfügigem suchte seinen höchst wehrts  
geschätzten Herrn Landsmann und Gönner  
aus wohlmeinender Schuldigkeit zus  
beehren

Christian Walther von Bresl.

III.

Wohl an! vertrauter Freund! mich freuet dein Beginnen;  
Weil dich der Themis Günst auff ihren Lehrstuhl führt/  
Auff dem du zeigest was der Zeit vor recht gebührt:  
Nach unerschöpfster Müh wird endlich deine Sinnen  
Das werthe Vaterland mit seiner Günst ergötzen /  
Und dich in seine Schoß vergnügen nehmen an.  
Fahr nur so ferner fort; des Höchsten Schickung kan  
Ja aller Hinderniß Zihl und Geseze sehen.

Gegen seinen vielvertrauten Herrn Landsman/  
Stubengesellen und beständigen Freund/  
solte mit diesem seine Schuldigkeit  
ablegen

Elias Hoffmann von Breslau/  
D. R. B.

Laurea



QK  
Tm  
1796

**L** Aurea donandus Apollinari,  
 Quisquis ingenti studio Minerva  
 Servit, Astræ sua consecrare  
 Tempora mavult.

Bockius virtute colens Camænas  
 Non diu nescit latitare, monstrat,  
 Quas Jure prisci Veteres Calendas  
 Indigitarint.

Perge; perfaustis tua nunc Calendis  
 Exiit navis favet atq; Orion  
 Plena felici redeat rudente  
 fœnore multo.

Hæc pauca Perex. ac Præstantissimo Dn. Bockio,  
 Amico suo dilecto, feliciss. Studiorum pro-  
 gressus comprecaturus annectere  
 voluit

Joh. Hier. Zinck / Norimb.



1797

nc



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000  
**Kodak** LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



V I R O  
 NOBILISSIMO, CONSUL-  
 CELLENTISSIMOQUE  
 DOMINO  
 LI GÜTTIGIO  
 N Bock/  
 DUC. WÜRTEMB.  
 LS NENS.  
 SILIIS INTIMIS,  
 IMMO, PROMOTORI  
 MAXIMO, BENEFACTO-  
 NIGNISSIMO,  
 TIONEM HANC,  
 VE TOTUM  
 DEDICAT

CLIENS HUMILLIMUS

CRISTIANUS Bock/ Olsn. Siles.  
 Autor & Respondens.



judi  
 pus  
 eran  
 adm  
 festa  
 eran

Tri  
 ind  
 feri  
 An  
 ciso

